Digitized by Google

10

Remot. IV Quintus
258

Digitized by Google

76.

Ex libris
Joannis [illegible] [illegible]
anno 1630.

Digitized by Google

Digitized by Google

QVINTI CALABRI DERELICTORVM

ab Homero libri quatuordecim, Iodoco Velargo interprete.

Ad Conv: Monac: Fr. Erem. S. Augustini

COLVTI THEBANI RAptus Helenæ eodem interprete.

Editio Prima.

ANTVERPIAE,
Apud Ioannem
Steelſium.
Anno. M. D. XXXIX.

Cum gratia et priuilegio.

Digitized by Google

REVEREN-
DO IN CHRISTO PATRI
ac domino, domino Gregorio Ha-
gis religioſiſſimo Abbati mo-
naſterij diui Michaelis
Antuerpię, Iodocus
Velaræus S.

NOn immerito quis tribuat improbitati, domine multis nominibus mihi ſuſpiciende, quod te literis interpellem, hominem ob nouam dignitatis acceſſiõem tantis curis fluctuantem, tantisq́ʒ diſtrictum negotijs. Nam quiſq; facile ex ſe coniecturã fecerit, quantę molis fuerit, primos negotiorum impetus ſuſtinere, ubi pręter ſpẽ quiſpiam ad tantum prouehatur faſtigium, priuſquam enim in his animus callum ducat, ſui omnino iuris eſſe nequit. Siquidem nemini obſcurum eſt, quantas ſepe turbas, improuiſa illa rerum ſpecies ciere ſoleat, in animo etiam bene conſtituto. Proinde officio parum tempeſtiuo me graſſari, iure dixeris, uerum ex ęſtuãti affectui reluctari arduum eſt, preſertim cum is ſe quodã honeſti fuco oblinat. Nam geſtiebat animus gratulari &

ueteri

Digitized by Google

ueteri amico, & quōdam diſcipulo, ad eam dignitatem prouecto, quę non paruum adferat momentum, & ad pariendam ſolidam uiuacemq́ꝫ gloriam, & ad bene merendum de bonis oĩbus, modo Chriſtus tibi (quod omnibus uotis, ardentiſſime nobis expetēdum) mentem dare dignetur, ijs cupiditatibus ſuperiorem, quæ multorum, ubi dignitate aucti fuerint, animum tranſuerſum agere ſoleant. Nam hic ſtatim ſubductis ſupercilijs, & perinde ac ſi totam Aſiam imperio teneret, faſtu intumeſcēs, ſecurũ dominatũ interpretatur, officium, quo niſi tanta aduigilet ſolicitudine, ut ſerui plane perſonam gerat, explicatam & exploratam, ſuæ ſuorumq́ꝫ ſalutis, rationem ægre habere queat. Ille autem meliore ſui parte cōſepultus, ſiccandis ſolũ poculis inuigilat, pernox & per dius, ſe probe ſua munia obijſſe ducens, ſi peritiſſime cenſum ſuum mergere poteſt. Vnde nihil aliud referat, quã aqualiculum abdomine diſtentum. Alius uero Paphię deæ obſequijs deuotus, iuratusq́ꝫ, preceps abit mundi uoluptatibus, quibus ita animũ & aures imbuit, ut nihil ferre poſſent, niſi quod olentia illa gaudia ſapiat. Verum nō duco opereprecium eſſe, in hęc altius deſcēdere, & quaſi tuæ pietati deffiderē per ſingu

las formas eundo, ea ſplendidius & profluẽtius exequi. Siquidẽ animus ille tuus, nulla maleuolentia ſuffuſus, ac inuſitata quædam ingenij mãſuetudo, moreſq; nulla hactenus ſiniſtri rumoris labe aſperſi, facile optimo cuiq; talem de te ſuſpitionẽ exemerint. Prę ſertim cum ita ſemper ab omni ambitione abhorrueris, ut nemo quiſquam in toto tuorum cœtu fuerit, qui minus ex aliorum ſuffragijs penderet. Idq; adeo ut ea res tibi uiã munierit ad hanc dignitatem. Cum multi eidem ſpei imminerent, quo te tamen reluctantem, ac prę inteſtino animi dolore ſępe uictum in lachrymas, protrudere debuerit, pro quo alij ſacra prophanis miſcere non dubitant. Vnde in ſpem adducor, aliquando futurum ut aureum illud mortalium gen⁹ ζωπυρείϑω. Cum uideamus illos ad dignitates eccleſiaſticas penetrare, qui intelligant quantum humeris onus ſuſtineant: quando nemo hæc, quæ tãto fulgore omnium oculos præſtringunt, à ſe relegaret, niſi didicerit quantę ſit difficultatis bonũ prę ſulem gerere: quo fit ut diuinatione multo certiore, quam ſi ex alitis uolatu, aut cantu oſcinis, aut tripudijs ſoliſtimis, augurer: Non futurum eſſe ut ſpẽ fruſtra foueamus, quin potius ſine ulla hęſitatiõe fore, ut quã

tui

Digitized by Google

tui expectationē excitaſti, hāc facile ſuſtineas & tuearis, modo ab inſigni illa animi tui manſuetudine, ac modeſtia, ſolitū illū in literas, feruorē, nunq̄ auelli patiaris, neue te γαστρολατρῶν τινων conſilijs tibi auferendū prebeas, ſed ſtudioſis, ac uirtutis ſectatorib⁹ patronū exhibeas, quales optimo iure oēs eſſe debeāt, quicūq; in eccleſiaſtica politia, conſpicuū ſuſtulere uerticē. Nā ſi iſti, huius Palladis Panoplia, tecti, facile ꝓpulſent oīa aduerſarioꝝ iacula: ingrati haud iniuria cēſendi ſi non ęquā rependāt uicē, hoc eſt, in oēs qui eiuſdē deæ caſtra ſequuntur, animū induant benignū & propitiū. Siquidē is demū dignus cēſendus eſt eccleſiaſtici patrimonij hęres, qui quod nactus eſt facultatū, nō ſibi in ſolidū uindicat, ſed in publicā cōfert utilitatē: quod niſi fiat per bonos & tui ſimiles pręſules, non uideo quo pacto in tā uaſta rei literarię clade, ut afflictiore cōditione eſſe nequeat: Tandē recte ſtudijs cōſuli quæat, Barbarorum quippe illuuie oīa polluēte, quibus olim politiora ſtudia eniteſcere cōſuerunt, ad quę pręſtāda ut te currentē (quod aiūt) inſtigarē, haud abs re duxi nr̄as ſuperioris hyemis lucubrationes, ſub tui nois auſpicio in publicū emittere, hoc eſt Homeri παραλειπόμενα quæ quintus Cala-

Digitized by Google

ber uir, alta recōditaq; eruditiōe, nec īfœlix Homeri imitator, feſtiuo plane poemate cō plex⁹ eſt. At trāſtuli hęc ſucciſiuo, ac tumultuario ſtudio: nā me totū his dare haud potui, ſiquidē meliorē tēporis partē uēdicabat ſibi (quaſi iure ſuo) īſtituēdę iuuētutis labor, qui me ſepe laſſitudine diffluentē, ac tedio retuſum, colligēdi aīi grā ad hęc ablegauit. Nō quidē eo animo, ut fractis repagulis, ea publico ac ꝓpatulo uſu ferrent̃, & ſi poſtea quidā amici me in hanc mentē impulerūt. Sed ne ſecura lectiōe trāſcurrerē ſcriptorē, ob Homeri imitationē, impenſius mihi placentē. Quin potius ueteri exēplo, eius uirtutes, hoc pacto preſſiori, & defixiori perluſtrarē intuitu, quare id mihi p̄cipue ſtudio habui, ut ſententiā q̄ poſſem dilucidiſſime exprimerē. Nō admodū laborās, etſi uerbū uerbo ubiq; nō redderē; quod cum in nulla uerſiōe multū laudis mereat̃, tū precipue ſi græca in latinū tranſfundas. Cū quippe plerunq; Romana à Gręcis diſſentiant, tū et qui carmina Poetarum, oratione proſa retexit, non poteſt eam tam ſublimi ſpiritu, attollere, quin & uerba, poetica libertate audaciora, preſſioribus plerunq; ac demiſſioribus ſunt mutāda. Tum omiſſa ſepe ſupplenda, & effuſa reſtringenda. Proinde

quæ

Digitized by Google

quæ noſter longa extendit periphraſi, quã cenſet Fabius, apud Poetas frequentiſſime ſolũ ornatũ petere, plerunq; aſtrictus reddidi, ne, figura poeſi decora, ſoluta oratione in uitium inpingeret: periſſologię nomẽ induens, deinde epithetum quod, niſi aliquid efficitur redundat, (teſte Fabio) frequenter miſſum feci. Nã eo Græci Poetæ, fecundiſſimã ſibi libertatem uſurpantes, plerunq; uſi eſſe deprehendunt, ſolũ ut carminis hiatũ ſuffultiãt: quare fit ut ſi queẽadmodũ Græce ſonat, latinitate dones, longã & ĩpeditã oratione cõſuas. Vt interim taceã, latinę linguę decorũ hoc pacto periclitari. Pretereaquod nõ ubiq; leni fluxu decurrat oratio, ſed ſepe per aſpera & cõfragoſa feratur. Id in cauſa quod carmẽ ita retexi nõ poteſt, proſa oratiõe, quin ſi ubiq; natiuã Poetæ ſententiã referre uelis, ſtilus ſepe duritie quadã reſultet Tũ etiam Mendæ quibus author ſcatet ſepe hunc tortuoſum eſſe coegerũt, habes cõſilij noſtri rationẽ, quã ſi tibi nõ omnino diſplicere uidero, exiſtimabo me nõ prorſus fruſtra hanc qualẽcunq; operã ſumpſiſſe. Vale reuerẽde dñe, & me horũ numero aſſcribas quos noris tuæ pietati auſpicata oĩa precari, quã dñs Ieſus diu nobis incolumẽ ſeruet. M. D. XXXIX. XI. calendas Auguſti.

IN PRIMVM LIBRVM
Argumentum.

PEntheſilea Amazonum regina, Troianis ſubſidio ueniens magnificis donis, & conuiuio, à Priamo accipitur, quã Pallas, fraudulento inſomnio deludit, Martis aſſumpta perſona, quare poſtridie, magno animi impetu, in prelium abrepta eſt, perſuadens ſibi id haud inauſpicato ſe aggredi poſſe, ad quod patris ſui monitu inuitaretur. At Priamꝰ ſiniſtro turbatus augurio, tenuem admodum de eius reditu ſpem cõcepit. Illa tamen magnam inter Græcos ſtragem ædidit, tãtiſper dum Achilles prelio abeſſet. At cum futurũ eſſet, ut Pentheſilea, Græcis in fugã actis, ignem nauibus inijceret. Tum Achilles Aiacis hortatu, ſe prelio accingit, & Pentheſileam, infeſto animo in ſe inuectã, haſta perfodit: quod cernentes Troiani, terrore iniecto, ad urbem ſe corripiunt, Tum Mars ob filiam proſtratam magno affectus luctu, olympo deſilijt, ac ſimul cum Achille myrmidones omnes letho dediſſet, niſi Iupiter eũ, miſſo fulmine, deterruiſſet, Cæterum Achilles intuitus Pentheſileã iã humi fuſam, añi ſe diſcruciat, quare à Therſite inceſſitur conuitijs, quem Achilles illiſo pugno interfecit. Qua de cauſa Diomedes ira inflammatus cũ Achille manus conſeruiſſet, niſi preſtãtiſſimi quiq; Græcorum eos utrinq; in gratiam redegiſſent.

QVINTI CALABRI DERELICTORUM AB HOMERO LIBER PRIMUS.

VBi ab Achille ſuperatus Hector & rogo impoſitus in cineres redactus eſſet, tum ſe Troiani metu Achillis, tanto impetu ruentis, in urbe continebant, non ſecus ac boues oppoſitum Leonis cubile ſubire detrectant, ſed metu perculſi, per denſa uirgulta gregatim ſe ſubducunt. Sic illi urbis latibulis tecti, fortis uiri impetum ſubterſugiunt. Haud immemores quantam priorum ſtragem ędiderit, dum furibūdus raperetur per ripas Scamandri fluuij, qui iuxta idam labitur, aut q̃ multos in fugam actos Troiæ ſub mœnibus altæ, internitione ceciderit, quodq́; Hectorem domuerit, & lucem ciuitatibus ademerit, alioſq́; complures ſtrauerit Maritimo prelio quando primū Troianis exitio uenerat. Hæc omnia ſecū in ani-

Troiani metu Achillis urbe ſe tenent.

Digitized by Google

mo uerſantes Troiani, intra urbis munimẽ-
ta ſe tutabantur, tanto luctu, ac dolore ſe af-
fligentes, perinde ac ſi totam Troiam lamẽ
tabile hauriret incendium, tum primum ab
amne Thermodoōte Troianis ſubſidio ue

Pẽtheſilea ad Troicã expeditionẽ uenit.

nerat Pentheſilea, mulier diuina forma pre-
dita, ſed duobus diuerſis affectibus æſtu-
ans, quippe luctifici belli ardore incenſa, &
triſtem ac indecentem famã reuerita: nem-
pe ne apud ſuos populares infamiæ ſibi eſ-
ſet ſua ſoror Hippolyte, cuius gratia maxi
mum animo uulnus cõceperat. Hanc enim
ualida haſta interemit: nec id quidem dedi
ta opera, ſed in ceruum telum torquẽs, qua
certe de cauſa, ad Troiæ iam celebratiſſimę
ſolũ ſe recipiebat, preterea etiam ad hoc ei
Martius ille anim⁹ ſtimulos addebat, ut tri
ſtibus expiationibus de cę de purgata, hor-
ridas ſibi furias placaret, quę ſororis cauſa ei
ſuccẽſentes indiuulſę ac occultę aderant co

Furiæ malorum animũ ſemper torquent.

mites. Hæ enĩ ſemper ad ſceleratorũ hoĩm
pedes uoluunt, nec eſt quiſq̃ graue aliquod
in ſe delictum admittẽs, qui haſce deas ſub
terfugere queat. Cęterum cum Pentheſilea
alię duodecim illuſtres fœminæ erant, quæ
omnes inflammato quodam, tũ belli, tum
infeſtæ conflictationis ſtudio, rapiebantur,

&

Digitized by Google

& quamuis geſtarum rerum gloria admodum eſſent cõſpicuę, tamẽ famulatum pręſtare Pentheſileæ non dedignabanť, ut quę non parum inter omnes emineret. Non ſecus ac cum magno olympo cæteris ſyderibus pręfulget Luna, nĉpe quæ inter omnes magnam ſui admirationem concitet, ſub nubibus ſonoris dirupto æthere, ſic illa oẽs ſupereminebat: aderant enim Clonie, Polemuſa, Derione, Euandre, Autandre, & Diua Bremuſa, tum Ippothoe ſimul & Armothoe, nigris oculis decora, tum Alcibie, Antibrote, Derimachia, pręterea etiã Thermodoſa haſta admodum conſpicua: tot certe fuere quę bellicoſę Pentheſileę obſequiũ pręſtarent. Porrò qualis olympo progreditur aurora, equis ſplẽdidis animũ oblectãs, cum horis formoſis quas formæ ſplendore lõge anteit, & ſi minime carpẽdæ ſunt pulchritudinis: Talis Pentheſilea prodijt ad Troianam urbem curru inter omnes conſpicuo, circumfuſi autem Troiani ruebant magna perciti admiratione, ubi cernerent Martis indomiti filiam, laxis tibialibus indutam, ipſis deabus forma haud diſſimilẽ, nam in uultu utrunq; aderat, & formę ſplẽdor & horror quidam maſculus, ridenti aũt

amabiles

Digitized by Google

amabilis, ſub ſupercilijs oculi radiorũ in morẽ relucebãt. Tũ pudor ruborem addebat, nam in genis diuinã quædã aderat gratia, robur induta. Populus autem gaudio exiliens circumfundebatur, antea licet magno affectus dolore, ut quando agricolę circumſpiciũt è mõtis ſpecula irim Oceano exortã, cũ quippe cœleſtis aquæ penuria laborant, & agri exareſcunt, ſitientes pluuiã, tandemq; cœlum nubibus obduci cœpit, dum hi cernentes bonum uenti pluuięq; iam inſtantis prognoſticũ, gaudio perfundunt, qui prius in agris ſedebant, alta ducentes ſuſpiria: Sic certe Troiani quando uiderunt in ſua patria, fortem Pentheſileam belli ardore ęſtuantem, gauiſi ſunt: ſiquidem cũ in ſpem boni cuiuſpiam adducitur homo, delet ex animo gemebundum cruciatum, qua de re etiã Priami animus, qui antea gemitu & magno cruciatu enecabatur, nonnihil exhilaratus eſt, perinde ac, qui ob cæcutiẽtes oculos nõ parũ diſcruciatur animi, cupiens uidere ſacrã lucem, aut morti occumbere, & uel pręſtantis alicuius medici opera, uel dei ſubſidio, caligine oculis diſcuſſa auroræ fulgorẽ percipit, non quidem ut antea, nonnihil tamen remittitur ex tanto animi cruciatu,

manent

manent tamen in oculis magni doloris reliquię. Sic certe Priamus intuitus Pentheſileam, nõnihil gauiſus eſt, at maiorem animi partem adhuc ſibi uendicabat dolor, ob filios qui in prelio ceciderant. Porrò adducit in ſuas ędes reginam, & illam omnibus humanitatis officijs ſedulo proſequebatur, perinde ac filiam, iam uigeſimo demum anno peregre reuerſam, ac omnium ſuauiſſimam inſtruxit cœnam, qualem cœnare ſolent illuſtres reges, quando conuiuia agitant ob uictoriam diffundentes animos, hoſtibus quippe ſub iugum miſſis, pręterea illam pulchris & copioſis muneribus cumulauit, & multa adhuc ſe recepit daturũ, ſi Troianis iam aduerſo prelio fractis, opem ferret. At illa recepit ſe confecturam negotium, quod nemo mortaliũ ſibi polliceri auderet, nẽpe fore ut Achillem ſterneret & magnũ Gręcorum populũ internitione cæderet, ignẽq; nauibus inijceret: At ſtolida haud quaq̃ compertum habuit quanto cæteros omnes anteiret exitiali prẹlio, haſta preſtans Achilles. Quam cum audiſſet Andromache Aetiõis filia, talia ſecũ animo uerſabat, Miſera: Cur arrogantia intumeſcens tam magna loqueris? non adſunt tibi hæ uires ut cum intrepido

Andromache Pentheſileæ iactãtiam tacita refutat.

trepido

trepido Achille manus conſeras:ſed te ſtatim neci atq; exitio dabit: infœlix: quis te mentis abſtulit error, certe fixa eſt tibi hic mortis meta & fatalis dies: Hector enim lõge te fuit haſta prçſtantior, uerum ſuccubuit, licet uiribus præmineret, & magno Troianos multauit infortunio, qui illum per urbem, ut deum, ſuſpiciebant, & mihi & meis generoſis parẽtibus, cum in uiuis eſſet magnum ornamẽtum attulit, at utinam tumulo condita fuiſſem, priuſq̃ utero haſta perfoſſo animam efflaſſet. Nunc autem calamitoſa ego immenſo dolore angebar, cum illũ horrende circa muros ueloces equi raptarunt Achillis: qui me orbauit uiro cui mea libata uirginitas, quod me nullo non tempore, graui dolore afficiet. Sic effata eſt pulchra Andromache, in memoriam ſibi redigens maritũ: nam pudicis fœminis, magnis auctibus creſcit luctus, cum in uiri defuncti memoriam incidant. At ſol rapida circum actus uertigine, altũ Oceani fluxũ ſubijt & appetijt aurora. Hi uero iam ſatiati erãt potu & ſuaui cibo, tum famulç ſtrauere lectos delectabiles in Priami ædibus, temerariæ Pentheſileæ: at hæc accedens quietẽ cœpit & ſuauis illapſus ſomnus oculos occluſit, tũ
in

inſomniũ fraudulẽtum, Palladis monitu, ex ęthere ſupremo deſcendit, ut illud uidẽs, malum ac damnum daret cum Troianis tũ ſibi ipſi magno ardore abrepta ad belli phalanges, & hæc quidẽ ſic machinabať bellicoſa Minerua: huic igiť triſte inſomniũ ſupra caput aſtitit, patrem repreſentans, & hortabať ut fidenti pectore contra Achillem in campũ deſcenderet, quod cũ audijt prorſus in animo gauiſa eſt, pſuadebat em̃ ſibi fore ut eodem die magnũ patraret facinus, horrido prelio, & ſtolida morem geſſit infœlici inſomnio, nocturno, in lectis quidẽ ſatis demulcenti calamitoſum hoĩm genus, cũ ludibria plane proferat, quod quidẽ & illã fraude circũuenit ſtimulos ſubdens, fore quippe ut reuerteretur incolumis. Porrò quando oriebatur roſea aurora, tum Penthesilea magno robore menti indito, corripuit è ſtratis corpus, & decora arma humeros induit, quæ ipſe deus Mars illi dederat, & primum tibijs addidit aurea tibialia, quę illi bene aptabantur: induit thoracem uariegatum, & glorians humeris circumpoſuit magnũ enſem, cui uagina erat argento aut ebore expolita, addidit autem ſcutum non diſſimile Lunæ circulo, quæ ſupra uorticoſum

Inſomnio deluditur Pentheſilea.

Oceanum

Digitized by Google

Oceanũ exoritur, ſemiplena incuruis corni bus, ſic plane relucebat, & capiti impoſuit galeam aureis comis criſtatã, ubi uero cor- pori circumpoſuit affabre facta arma, fulgu ri ſimilis apparebat, quod è cœlo in terram iaculatur Iuppiter, declarãs, mortalibus gra uiſoni imbris robur, aut impetuoſorum uẽ- torũ indeſinentem fragorem, at properãs ſe domo efferre duo ſumpſit iacula ſub ſcu- to, dextra autẽ utrinq; incidentem ſecurim quam illi trux dedit contentio, ut exitiali bello ſibi eſſet maxime auxilio, quo in ca- chinnum ſoluta ſe ſtatim extra munimenta corripuit, Troianis animum accendens ad preclaram pugnam. At primarÿ uiri celeri ter conglomerati, facile illi dicto erant audi entes, quãuis antea detrectaſſent cũ Achille pedem conferre, nam omnes domuit. At illa intolleranda efferebatur arrogantia: inſi debat enim equo egregio ac uelociſſimo, quem ei pro hoſpitali munere dederat Bo- reæ uxor Orethea, cum olim in Thraciã ſe reciperet, qui etiam eminebat inter perni- ces harpyas, Cui inſidens pręſtans Pentheſi lea, liquit alta urbis munimenta, miſere aũt illam urgebant fata, ut prima & nouiſſima pugnę intereſſet. Cęterum multi Troiani

Digitized by Google

cicumfuſiturmtaim ſequebantur in propupudioſam pugnam, pedibus minime reducibus, laboris patientem uirginem, ut oues arietem, qui paſtoris induſtria omnibus im pulſis præcurrit: ſic fortes Troiani & Ama zones magno animi robore ſuffulti, ingentiq́; incenſi deſiderio hanc ſequebantur. At qualis Pallas, cum contra gygantes in prælium deſcenderat, aut pugnæ excicatrix cõ tentio, per aciem rués; talis inter Troianos uerſabatur acris Pentheſilea. Cęterum Pria mus Ioui tendens laborioſas manus, preces fundebat, cõuerſus ad idei Iouis templum, qui ſemper iliũ proſpectat: audi, inquit, pater, & largire, ut hoc die Achaicus populus ſternatur, Mauortię reginæ manibus, & illã reducem ac incolumem meis ædibus redde, idq́; in gratiam Martis, magni, ac præſtã tis tui filij, & in ipſius quoq; quæ immortales deas corporis formarefert, nam prorſus abs te diuinum ſanguinem trahit: pręterea te mihi exorabilem prębe, quia multis malis iactatus ſum, liberis quippe extinctis, quos mihi abſtulerunt fata Græcorum manibus, in acerrima deuaſtatiõe: te noſtri miſericordia tangat, quorũ pauci adhuc ſuper ſumus de preclara Dardani ſtirpe, ut urbs

direptioni detur, & nos à deteſtandis cædibus & bello reſpiremus. Sic dixit obnixe precatus: huic autem á dextra, aquila acutũ clangorem edens, columbam etiam nũ reſpirantem unguibus tenens, impetuoſe uolauit. At Priamus conſternabatur animi, augurabatur enim nõ ſe uiſurum Pentheſileã incolumem è prȩlio reuerſam, & perinde ac futurũ eſſet, ut eo ipſo die fata id explerent, ſic ſummo cumdolore, animo deijciebatur: at contra Grȩci admiratiõe perciti ſunt, ubi intuebant. Hos quidẽ feris cõparantes, quæ in mõtibus miſere negotũ faceſſunt ouibus, at illã flammæ impetui quȩ uento urgente, aridis ramis furit: & Græcis in unum contractis, quiſpiam in hũc modum proximũ alloquitur, quis tandem poſt cæſum Hectorem Troianos in aciem educit, quos exiſtimauimus nõ amplius uelle nobiſcum manus conſerere, at nunc denuo impetu ferũtur, magno pugnæ deſiderio ȩſtuantes, & iã quidã inter medios ad labores eos extimulat: dixeris deum eſſe quempiam: qm̃ rẽ arduam animo uerſat, proinde inexhauſta quadam in pectora confidentia aſſumpta: memores ſimus bellicæ fortitudinis, nec certe nos ſine numine diuum hoc die

cum

cum Troianis prelium inibimus, ſic dixit. Hi uero ſplēdidis indutis armis, nauib⁹ educebantur, robore obarmatis humeris & ad cruentam pugnam crudiuoris feris nō diſſimiles rapiebant̃ egregijs inſtructi armis, nempe haſtis & thoracibus & ualidis boū tergis, & ponderoſis galeis: alter alterius corpus ferro impetijt truculente, & Troianum ſolum ſanguine tingebat̃. Hic Pentheſilea petijt molionem, perſinū, gliſſum, Antitheum & pręſtantem Lernū, deinde Hippalmum & Emonidem, & fortem Elaſippum, Derione autem Laogoum, Clonie uero mempū qui olim è Philace comes uenerat Menelao ut cū Troianis manus cōſereret. At eo extincto magna exardeſcebat iracundia Poderces ephecleades: hūc enim præ cęteris ſodalibus amore complectebatur & ſtatim in diuam Cloniem telum uibrabat, quod illi uterum perfodiebat. At celeriter ater cruor diffluebat & inteſtina oīa haſtam ſequebantur: cuius certe cauſa ira percita Pentheſilea tereti haſta craſſis lacertis dextrę manus, uulnus impegit, & præſecuit uenas ſanguinolentas, tū ater ſanguis illi per inflixum uulnus impetuoſe ebullijt. Hic uero gemitum ducens, retro dilapſus

eſt, nam illi animum deiecit triſticia, & magnum ſui deſiderium ſtipatoribus reliquit. Siquidem parũ prçlio amotus, ſubito inter ſuorũ manus animã expirauit, Porrò Idomeneus, Bremuſæ ad dexteram mammam haſtã illiſit, cui ſtatim cor diſſoluebatur & ſternebatur fraxino ſimilis, quam eximiam montibus frõdatores amputant: at illa corruens fragorem ſimul & ſtrepitum edit, ſic illa ploratum ciens collapſa eſt, cuius quidem ſtatim omnia membra diſſoluit fatum: anima autem uentoſis auris miſcebaẽ. Cæterum Meriones & Euandram & Thermodoſã exitiali prelio graſſantes humi fundit: huic quidem pectus haſta tranſuerberãs, ac illi ſub uterum enſem inpingens, quæ de repente fato conceſſere. At Derionem ſubegit Oilei præclarus filius, horridam illidens haſtam, qua parte humerus ceruici iungiẽ. Deinde Diomedes Alcibiæ & Demaches enſe triſti, caput præſecuit ſimul cum ceruicibus ad humeros uſq;. At hæ non ſecus ac iuuencę collapſæ ſunt, quas iuuenis aliquis anima priuat ualida ſecuri ceruicales neruos amputans. Porró ubi ceciderunt iſtæ Diomedis manibus domitæ in Troianorũ campo, procul à ſuis capitibus, ſuper eas ipſas,

Stenelus

Digitized by Google

Stenelus fortem Cabeum interfecit, qui ſeſto aderat incenſus cupidine pugnæ cum Grȩcis; nec unq̃ in patriam redux fuit: quo extincto in iram exarſit Paris, & telũ in Stenelum torquebat, nec tamen huic impegit uulnus, quamuis ad id magno niteretur impetu, aberrauit enim, alio telũ, quo id triſtia fata ferebant, ſed deiecit impetuoſe euemorum ferrea mitra obarmatũ, qui ex Dulichia ad Troianã expeditionẽ uenerat, quo interfecto, prȩclarus Phelei filius cõmotus exiliit, ut leo quãdo in ouiũ gregem irruit, & omnibus trepidatiõem iniecit uir fortis: nam obtruncauit Itimonem & Hippaſidem agelaum, qui è Mileto Grȩcis minatum uenenerat, cum Neſta diua ſub magnanimo Anchemacho, qui Micaliam incolebant, & Tytani candida iuga & Branchi lõgas ualles ac litoralem ſtationem, ac fluenta profundi Meandri, qui à Phrygia in regionem Carum uitibus conſitam delabitur, flexuoſis diſtortus ripis, hos quidem mactauit Meges in pugna, aliosq́ complures, quicunq; ſuæ haſtæ occurrerent. Nam illi audentiã in pect⁹ indidit Minerua, ut hoſtibus exitio eſſet: Dreſeum autem Martius polepetes quẽ peperit diua Neera Theodamãti pru-

denti uiro miſta concubitu, ſub niuoſo monte Sipylo, ubi dij Niobem in ſaxũ conuertere, cuius etiam num multa diſtillat lachryma è uertice triſtis petræ, cuiq; etiã condolent fluxus ſonori Hermi, & ardui Sypyli uertices, quib⁹ circumfuſa eſt nebula paſtoribus in imica, magnam aduenis admirationem cõcitans, quia gemebundæ fœminæ ſpeciem præbet, quæ luctu ſe afflictans, infinitis diſtillat lachrymis: quod uere ita eſſe dixeris, cum eam procul uideris. Vbi uero prope acceſſeris, ardua apparet petra à Sipylo auulſa, ſed hęc quidẽ pernicioſam deorum iram explens luget in ſaxis dolentis etiam nũ fœminæ ſpeciem referens. Porrò alij inter alios cædem & horrendam perpetrarunt ſtragem. Nam per medios acerba uoluebatur contentio, unde non procul aberat durus mortis terminus & triſtia circũuoluebantur fata, lugubrem ſecum adducẽtia cædem. Siquidem multi, tum Troianorum tum Græcorum humi fuſi, illo die in puluere morti occubuerũt & magnus fremitus ſublatus eſt: necdum etiam magnum Pentheſileæ robur flacceſcebat, ſed quemadmodum in longis mõtibus leęna impetu facto per ſinuoſas irruit ualles, in boues, ſanguinẽ

ſitiens

ſitiens,qui mirum illi animum exhilarat,
ſic tum in Græcos rapiebatur Martis filia,
at hi animo perculſo terga dedere,hęc uero
ſequebatur ut fluctus iactabundi maris naui
bus illiditur,quando nimirꝝ ſecundus uen-
tus alba tendat uela,undiq; autem reſonāt
ſcopuli crebris fluctibus in littus ſe uol-
uentibus:ſic illa ſecuta, Gręcorum dirumpe
bat phalanges,& eis minabatur,admodum
in animo ridens: Vos inquit,canes,qui ho-
die Priamum tāto mulctaſtis damno,nemo
enim noſtris ſe uiribus ſubtrahens, gaudiū
natis aut uxoribus feret, ſed mortui alitibꝰ
& feris proijciemini epulum , nec unq̄ uo-
bis terræ tumulus aggeretur: quo nunc uis
Diomedis, quo Achillis, quo Aiacis eua-
nuit? quos mihi fama tulit eſſe prę ſtantiſſi-
mos,ſed non ſuſtinebunt nobiſcum Martis
aleam experiri, ne illis animas orco dimit-
tam. Sic fata & tantas efflans glorias in Grę
cos ferebatur, & morti robore non diſſimi
lis,ingentem perpetrauit ſtragē: nunc qui-
dem acuta ſecuri,nunc uero iaculū uibrās,
aderat enim illi acer equus, qui arcū & pha
retrā ſuggereret,etſi fortaſſis in cruenta illa
pugna,uel triſtibus telis uel arcubus opus
fuiſſet;& celeres illam aſſectabantur uiri,tū

fratres, tum amici bellicoſi Hectoris, taciti in animo impetuoſum ſpirantes Martem, qui haſtis expolitisGręcos deijciebant. At hi denſius cadentes dijs uidebantur folijs, aut pluuię ſimiles. Multum uero ingemuit immenſa terra ſanguine rigata, & cadaueribus cumulata. Porrò equi aut telis, aut haſtis perfoſſi, ultimũ edebant hinnitum, ſuũ expirantes robur & puluerem mordentes palpitabant: Quorum uires Troiani equi a tergo inſtantes exhauſere, ut incedebãt ſimul cum interfectis collapſuri, & Troianorum quiſpiam magno perfuſus gaudio obſtupeſcebat, cum uideret Pentheſileam per acies ruentem, atro uentorum turbini ſimilem, qui ponto incubuit, quando Sol Capricornũ intrat. At ille ſpem fouẽs inanẽ, inquit ô amici, quam manifeſte hodie cœlo delapſa eſt immortalium quæpiam, preliũ cum Græcis initura, & nobis ualido Iouis conſilio opem latura, qui iam fortaſſis ualidum Priamum in memoriam reuocauit, qui gloriaſſe ab ĩmortali ſanguine gen⁹ ducere: nõ eſt certe inquiẽs quod putem⁹ nos, hanc intueri mortalem fœminam, ſic audẽtem ac adeo ſplendidis inſtructã armis: ſed profecto uel Mineruam, aut magnanimam

Bellonã

Digitized by Google

Bellonam,aut Contentionem,aut præclarã Latonæ filiam:& in ſpem adducor fore, ut hodie lugubri cæde Græcos afficiat,& exitialem ignem nauibus inijciat,quibus,olim appulere multa nobis adferentes mala,appulerunt inquam intolleranda nos damno, hoc bello afficientes, ſed haud quaq̃ in Gręciam reduces patriam gaudio perfundent, quia nobis deus præſidio fuit, & hęc certe Troianorum aliquis magno exultans gaudio,inquit ſtolidus, non eñ perpendit graue malum,& ſibi & Troianis,& ipſi deniq; Pentheſileę impendens,nondum enim triſtis belli rumor uel ad Achillem urbiũ deuaſtatorem,uel ad magnanimum Aiacem peruenerat,ſed uterq; circa Patrocli tumulum humi fuſus,amici memoriã recolebat, diuerſo enim luctu obtinebantur. Nam eos deorum quiſpiam pugna prohibuerat, ut multi triſti excidio cumularentur à Troianis,& præſtanti Pentheſilea proſtrati, quæ irruẽdo male in eos conſuluerat,& ſibi ſemper plus animoꝝ ac roboris addens, nunq̃ eñ haſtã fruſtra uibrauit:ſed ſemper cęcidit fugientium terga, aut illorum pectora, qui in aduerſum niti audebant: feruido autem ſanguine undiq; rigabaț ſolum. Porrò eius

membra leuitate efferebantur,nec occupabat animum intrepidum defatigatio ,ſed indomito quodam robore ſuffulciebatur. Nã adhuc illã triſte fatum rerum geſtarũ ſplẽdore illuſtrabat,ut faces ſubderet ad pugnã cum Achille capeſcendã, quod procul ſtãs à pugna pernitioſe gloriebatur , quia futurum erat ut nõ ita multo poſt,Achillis manibus puellam domandam traderet. Sed ſe nebula obſepiebat,ac nulli conſpicua illam extimulauit,ac poſtremo in ſerum exitium induxit. At illa alibi alios ſternere properabat,ut quãdo iuuenca ſuauis graminis amore capta,uerno tempore in roſſidum aliquẽ hortum inſilit, & abſente domino aliunde alio fertur,lædens omnes tenellas plantas, nam has quidem decerpit,has uero pedibꝰ proterit:ſic certe mauortia uirgo in Grę corum naues turmatim impreſſiõem faciens, hos quidem obtruncauit , alios uero metu exanimauit. Cæterum Iliades ſeorſum bellica opera imitabantur,& pugnę cupiditas cepit Nemeptolemi uxorem Siphonem, Anthimachi filiã, & animi fortitudine euibrata,in magnifica hæc prorumpit uerba, ſuas coęuas ad lachrymabilem pugnam accẽdens,confidentia autẽ illi uires excitauit.

Fatum Penthesileã extimulat.

O

Digitized by Google

O chara capita gladiatorio pectoribus indi to animo, qualis à noſtris uiris minime diſcrepet, qui pro patria cum hoſtibus man⁹ conſerunt, nullam pro nobis & parentibus miſeriam ſubire recuſantés, tali igitur aſſumpto animo ad ſimilem nos pugnam accingamus: non enim multo inferiores ſum⁹ florenti ætate hominibus, ſed quale illis tale & nobis adeſt robur, eos enim oculis, genubus, & omnibus deniq; membris repreſentamus. Ad hæc eadem luce, eodē fruimur aere, nec cibus eſt diuerſus, quid aliud cędo uiris præſtantius addidit deus, proinde ne nos prelio ſubtrahamus: an nō cernitis mulierem uiribus anteire iuuenes etiam, qui pedem conferre hoſtibus audent, cui tamē nihil hic adeſt ob quod ſe tanto diſcrimini exponat, non familia, non ciuitas. Sed pro rege hoſpitij fædere ſibi dumtaxat iuncto, magna animi prōptitudine in certamē deſcendit: & magnos ſpiritus ac intrepidū ſibi animum aſſumens, nulla concutitur ſolicitudine, & ſi uiris concurrendum ſit. Porrò nobis abūde ante pedes eſt quod merorē iniiciat, huic enim & dulces nati & maritus circa urbem obtruncati ſunt, alias in luctū coniiciūt parētes, iā pridem extincti.

Troianæ mulieres ad pugnā excitātur.

alia

aliæ interim diſcrutiantur animi, ob fratrũ ac affinium interitũ, nec eſt quæpiam ab infœlici iſta afflictione immunis, quin & metus, ne poſtmodum ſeruitutis iugo ſubmittamur. Proinde cũ tanta nos premunt mala, haud cunctanter bello accingamur, magis enim decorũ uidetur animum in prelio efflare, quã poſtmodũ cũ paruis liberis triſti neceſſitate compulſas, in ſeruitutem abſtrahi, urbe quippe incendio abſumpta, & maritis perditis. Vbi uero hæc dixiſſet, oẽs inflammato ſtudio ad triſtem pugnam accendebantur, ac ante urbem pręcipites agebantur, cupidæ, armata manu opem ferre ciuitati & popularibus, exagitabãtur eñ illis animi, non ſecus ac in alueario apes magnum miſcent ſtrepitũ: ubi pulſam hyemem ſol aureus egit ſub terras, cœlumq́ꝫ æſtiua luce recluſit, ad paſcua tendunt, nec amplius amicum eſt, aluearij anguſtijs includi, ſed altera alterã inuitat, ut foras ſe educat: ſic Iliades ſeſe mutuo ad pugnam excitare contendebant, & amouebant à ſe procul lanam ac calathos, & triſtibꝰ armis manus admoliebantur, atq; extra urbẽ in prelio ſimul cum ſuis uiris ac robuſtis Amazonibus internitione cęſæ fuiſſent, niſi Thea-

no inſigni prudentia mulier, earum impetum refrenaſſet, ſapienti oratione ſententia eas deducere conniſa: Quid uos inquiens, ô miſeræ, graues pugnę labores tentare, uana ſpe inflatæ decreuiſtis? cum nunq̃ antea prę lio operam dederitis, ſed certe ignaræ rerũ ad immenſum opus, inflãmato pectore temere ruitis, nõ ſunt enim pares uobis uires, Troianis pugnandi arte probe imbutis. At Amazonibus pugna infeſta, & equitãdi ars inde à principio cordi fuere, & quęcunq; alia opera ſibi uirilis ætas ſuo iure uendicare poſſet, qua de cauſa eis Martius quidam animus commouetur, nec uiros requirunt, quia labor mirum in modum ualidus, animo callũ obduxit, & genua reddidit intrepida: nam fama fert, & hãc robuſti Martis eſſe filiã. Proinde non par, ut fœmina quępiam cum ea certamen ſuſcipiat, aut ſortaſſis immortalium quiſpiã adfuit noſtris uotis. Siquidem mortalibus omnibus eadem origo eſt, ſed alius, operibus admouet alijs, & id demum conſultiſſime aggreditur, cuius in animo peritiam habeat, quam ob rem pugna abſtinentes telam aggredimini in ueſtris ædibus. Porrò noſtris uiris preliũ erit curæ, & eſt fortaſſis quod nobis boni ſpem

Theano Iliadib⁹ preliũ diſſuadet.

ſpē prębere poſſet, quia Gręcos cernim⁹ peſſum iri, & admodū noſtrorū uirorū uirtus emicat, nec quicq̄ eſt mali quod nobis trepidationē iniiciat, non em̄ in nr̄os muros impreſſionē faciūt īfeſti hoſtes, nec triſtis fœminas neceſſitas ad pugnā urget, ſic dixit. At hę pręproperè, utpote ſeniori, morē geſſere, & pugnā procul ſpectabāt. At Pentheſilea ingentē in populo ſtragem adhuc edebat, & maximo concutiebant metu Gręci, nec ullū gemebūdi interit⁹ patebat effugiū, ſed trucidabant, nō ſecus ac balantes capręhorridis Pardalis maxillis cōficiuntur, nec ullo pugnæ tenebantur nunc deſiderio imò poti⁹ fugę, & alius alio ferebat, hi quidē abiectis humi armis ab humeris, alii uero cū armis, & excuſſis aurigis equi, in fugā effuſi erāt, irruētes quidē gaudio at pereūtes, magna afficiebant calamitate, nec ullis uiribus occurri potuit oppreſſis. Nā momentanea plane erat oībus uita, quicūq; inciderint eo feruore pugnæ, in Pentheſileā, & quēadmodū horrida & admodū infeſtās procella alias quidē humi arbores radicit⁹ eiicit, cū floribus adhuc uirētes, & alias ex alto diſſipat trūco, cōuulſę aūt ſibi mutuo cōfundunt, Sic bona pars Græci exercitus in

puluerē

puluerẽ proſternebat, & fatorũ uolũtate&
Pentheſileæ telo. Porrò ubi futurũ eſſet ut
Troiauoꝝ manibus incendio darent Grę-
coũ naues: tũ certe pereuntiũ pręlio, ploratꝰ
ad pręſtãtis Aiacis aures allapſus eſt, & Ach
illẽ cõpellat. Heus Achilles, profecto aures
meas maximus ferijt clamor, quaſi magnũ
cõſiſteret pręliũ: proĩde ꝑperemꝰ, ne Tro
iani occupent apud naues exitio dare Grę-
cos, nauesq́; incẽdio abſumãt, & utriq; nr̃m
magna probri nota inurat. Non eñ par eſt
nos, qui alto Iouis ſanguine genus ducimꝰ,
infamiæ eſſe nr̃is parentibus, qui & ipſi de
uaſtarũt olim præclarã Troianoꝝ urbẽ, cũ
bellicoſo Hercule, quando Laomedõ regni
clauũ teneret, quemadmodũ & nũc noſtris
manibꝰ futurũ exiſtimo, quia magno uterq;
eſt robore pręditꝰ. Vt dixit, ſibi cõtinuo di-
cto, audientẽ habuit Achillẽ, temeraria qua
dã fortitudine pręminentẽ: nã & ipſe geme
bundũ illũ clangorẽ auribꝰ percepit, ambo
igit ad ſplẽdida ruebãt arma, quibꝰ induti, è
regiõe aciei ſtetere, & arma pulchra admo-
dũ reſonabãt, ac animus illis haud mauorte
mitius furere icepit. Tantũ quippe robur ad
didit ãbobus, ſua ſpõte ſatis incitatis bellico
ſa Minerua, ac Gręcis tacito tentabat pectus
gaudio

gaudio cum oculis colluſtraſſent duo fortiſſimos uiros, nõ diſſimiles magni Alois filijs, qui aliquando in animum induxerunt magno olympo uaſtos inuoluere montes, nempe arduũ oſſam, & ſublimi uertice pelion ut ex animi ſui ſententia cœlum conſcendere poſſent: tales ſæuo ſe prelio oppoſuere eacidę magnũ inferẽtes gaudiũ cupidis Grecis, ambo certantes hoſtes internitiõe cędere, multos uero inuictis ſuis haſtis humi fuderũt, ut quãdo pingues oues denſis uirgultis deprehenderũt boũ domitores leones procul à paſtorib⁹ deuias, eas toto agmine irruẽtes interficiũt; tantiſper dũ atro epoto ſanguine, uiſceribus capacem ſuã aluam ingurgitarint: ſic illi immenſum deuaſtarunt exercitum, Hic Aiax petijt Deichiũ aut Martium Hyllũ, & belli cupidum Eurinoum & euyea Diuum. Porrò Antandrã inuaſit Achilles, & Polemuſam, & Antibrotem, deinde & magnanimam Hippothoen, prętereaetiam Hermothoen, quin & uniuerſum populum exitio dederat, ab Aiace magnanimo adiutus. Nam horum manib⁹ & crebræ & ualidę phalanges deijciebant, nec magno id adeo molimine, ſed ut in denſis montis uirgultis igni abſumitur opaca

ſilua,

ſylua uento quippe diffundente incendium. Quos ſimul ac animaduertiſſet bellicoſa Pẽtheſilea, in modum ferarum per horridam pugnã ruentes, ambobus ſe obuiã dare properabat, perinde ac Pardalis in denſis ſyluis rabidum ſibi animum exagitans, exilit in occurſum inuadentibus agricolis. At hi armis tecti, irruentẽ manent haſtis ſuis freti, ſic quoq; mauortiã Pentheſileam morabant hi uiri, arrectis haſtis, erant enim ferro circumquaq; muniti. Porrò cum mouerẽtur, prima haſtam teretem uibrabat Pentheſilea, quę Achillis ſcutum perſtrinxit quidem, ſed confracta reſilijt, talia enim erant diuina ſagacis Vulcani munera. At hæc aliud animo parauit uelox iaculum aduerſus Aiacem & utriq; minabatur: nunc quidem inquiens, mea manu, uana exilijt haſta, ſed exiſtimo ſtatim fore, ut hac utriq; ueſtrum animam extinguam, qui corporis robore præ cæteris Grȩcis uos uenditatis, at tũ minori negotio Troiani ȩquũ domitores bellũ hoc conficiẽt, ſed propius congrediamini, ut diſcatis quantæ inſurgunt uires Amazonibus, Et mihi certe à Marte genus ducit, nec mortali ſum nata ſanguine, ſed ipſe Mars inexhauſta quadam pugnȩ cupiditate

ęſtuans, naſcendi fuit autor, proinde & uiribus longè antiſto cæteris mortalibus dixit. At illi in cachinnum ſoluebantur, tamē impulit haſtam in argēteum Aiacis tibiale, ſed non ſubijt pulchrum corpus, quamuis magnis urgeret̃ uiribus, nō erat em̃ in fatis ut eius ſanguini miſceretur cuſpis, hoſtibus in prælio gemitum ciens. Cæterū Aiax neglecta Amazone in Troianorum multitudinem impetu ſe retulit, & ſoli Achilli liquit Pentheſileam. Nam compertum habebat futurum, ut nullo negotio quamuis uiribus præſtans, ab Achille conficeretur, nō ſecus ac columba in accipitrem incidens. At hæc alta duxit ſuſpiria, quod in caſſum emitteret haſtas, quam probroſis dictis adoritur Achilles: Heus mulier, quam uanis exultās uerbis, te nobis dediſti obuiam, cupidine pugnæ accēſa, qui cæteros terreſtres heroas procul à tergo relinquimus, nam ex altitonantis Iouis progenie nos originem ducere gloriamur. Cōcutiebatur certe metu impetuoſus Hector, etiam procul nos irruentes intuitus in pugnam lachrymabilem, & mea haſta perfoſſus occubuit, quamuis uiribus eſſet conſpicuus: tu certe magna inſania trāſuerſum raperis aut ardua paſſa es,

quæ

Digitized by Google

quæ & nobis hodie intentaris exitium, ſed tibi extemplo extremus aderit dies, nec ipſe quidem Mars tuus pater, te meis mani bus amplius eripiet, ſed mala morte pœnas lues, non ſecus ac ~~humilis~~ in mōtibus leoni occurrens. An nōtibi fama tulit, quot fortiū uiroꝝ corpora ad Xanthi fluēta noſtris ma nibus proſtrata? quin potius tibi id audiēti mentē dij ademerunt, ut tibi triſtia fata circumfunderentur: ſic dicens, progreſſus eſt, ualida manu longam haſtam torquens, quā popu lis exitio fabricatꝰ erat Chiron, & ſtatim ſub dextra mamma uulnus inflixit Penthesileę, unde ater cū impetu diffluxit cruor, & ſtatim membris debilitatur, ac magna ſecuris manibus elapſa eſt; nam oculi cali gine pretexebantur, & animum dolor penetrabat, ſed ubi reſpiraſſet & intuita eſſet hoſtilem uirum iamiam ſe acri equo abſtra cturum, animo ſecū uerſabat ſtricto, ne ferro exciperet irruētis Achillis impetum, an repente equo in terram diffluens, ſupplex eſſet diuino uiro, & illi celeriter polliceret magnā uim æris & auri, quæ delenire ſolēt mortaliū mētes, & ſi quis admodum ſit temerarius, quibus aut forte ſententia deduceretur pernitioſus Achilles, aut etiā in ani

Achilles ſimul cum equo perfodit Perthesileam.

C ij. mo

mo ueritus coętaneorum cœtum daret reducem diem, ſperanti fugam. Et id quidem ita ſe cum uolutabat in animo, ſed dĳ alio detorſere, nā illa inſultāte magnas animo iras ſuſcepit Achilles, & ſtatim telo tranſuerberauit ſimul cum ipſa pernicis equi corpus. Perinde ac quis ſub ardenti igni ueru tranſfigit uiſcera ad cœnam properans: aut ut uenator in mōtibus mediam cerui aluū præſecat euibrato iaculo, quod tranſuolans infigatur trunco proceræ quercus aut piceę, ſic certe Pentheſileam ſimul cum egregio equo deprompta ſua haſta in aduerſum demeſſuit Achilles. Hæc uero extemplo pulueri moribunda miſcebatur, honeſte admodum ad terram fluens, ne dedecore præſtās corpus afficeretur: Extendebatur autem in uentrem circa haſtā palpitans & acri equo incumbebat, ut abies ui horrendi boreæ cō uulſa, quam altiſſimam in frondoſis cōuallibus ſibi magnę glorię nutrit terra circa fontem, talis Pentheſilea dilapſa eſt acri equo quamuis uenatrix eſſet, confracta eſt autem illi haſta. Porrò Troiani cernentes eā prælio deiectam, magna per uniuerſum exercitum concuſſi trepidatione, ad urbem ſe corripiebant, maximo luctu animum afflictātes,

Pētheſilea ab Achille interficitur.

tes, ut quando in uaſto mari uento premũtur nautæ, & pauci admodum multis laboribus in calamitoſo pelago iactati, perdita naui, fuga ſe exitio eripiunt, ſero profecto illis terra apparet, aut urbs quępiam, & cruciatu gemebũdo euecti extemplo omnes è mari ſe impetuoſe educũt magna affecti meſticia ob nauis aut ſocioꝝ iacturam, quos magnꝰ fluctus in profundũ egit: ſic Troiani è prę-lio in urbem ſe fuga corripientes, lugebant horridi Martis filiã, & populares ſuos qui lachrymabili hoc prędio animam profuderunt. At hãc naſo ſuſpendẽs adunco Achilles magnifice ſe extollebat: Iace nũc inquiens, in puluere canibus aut alitibus pabulũ, miſera, quis eò te phaleratis ſuis dictis induxit ut mecũ manus cõſereres, certe perſuaſum tibi habuiſti fore, ut è prędio reuerſa ferres à ſene Priamo immenſa munera, ubi Græcos ad internitiõem perdidiſſes, ſed dij nõ perfecere tibi hoc propoſitum, quoniã inter heroas longe fuimus præſtantiſſimi, magnum Græcis lumen, Troianis uero exitium, & tibi quoq; omnibus numeris infœliciſſimæ, quia te fata tenebricoſa & mens impulere, muliebribus relictis operibus in bellum proficiſci, quod & uiris horrorem

 incutit,

incutit, Ita fatus haſtã Achilles eduxit & ex acri equo & illuſtri Pentheſilea, ambo enim adhuc palpitabant, una haſta deiecti. Porrò capite arripuit puellã, quę fulgorem ędidit, non diſſimilem ſolis radijs, aut Iouis ſplẽdori: nam in puluere & ſanguine uolutata emicabat adhuc decora facies, ſub amabilibus ſupercilijs, quamuis tamẽ animam exhalaſſet. At Græci circumfuſi ut uiderunt admiratione perciti ſunt, quia deas uultu retulit: iacebat enim in armis humi porrecta, ut indomita Diana Iouis filia ſomno detẽta cum iaculando impetuoſos leones in montibus, membra defatigarit. At illam etiam inferorum numero aſſcriptam ſuſpiciendã redderet Venus, decora robuſti Martis cõiunx, ut & prę ſtanti Achilli luctũ inijceret: multi enim uotis expetebant, ut in patriam reuerſi, talis uxoris concubitu frui potuiſſent, & mirumq̃ cruciabatur animo Achilles, quod illã neci dederit, & nõ poti⁹ uxorẽ abduxerit in Phithiã equis fertilẽ, quia erat magnitudine ac forma minime carpẽda, & plane diuina. Cæterum magno luctu afficiebatur Mars ob filiæ exitium, mirum in modum ſe crucians, exilijt ſtatim olympo, in morem horridi ac omnia concutientis fulminis

minis, quod Iupiter iaculat, & ualida manu miſſum impetu fertur, uel mare immēſum, uel terram fulgore perſtringens, eoq́ʒ ipſo magnus etiam concutitur olympus, talis Mars per longum aëra ira inflammatus ferebatur cum armis, ubi difficilem ſuæ filiæ necem audiſſet: nam illi per aëra incedēti nunciarunt auræ celeres Boreæ filiæ, grauē filiæ perniciem. Tum uero rapiebatur pro cellæ ſimilis, & montem Idam petebat, ſub cuius pedibus porrectæ ualles cōmoueban tur, & uoraginibus interrupti torrentes & fluuij, & immenſum territorium Idę monti circumiectū, & certe luctuoſam reddidiſſet diem Mirmidonibꝰ, ni Iupiter ipſe abſterruiſſet horrendis olympo uibratis fulminibus, & tonitrubus grauibus, quæ crebra illi ante pedes per aëra horrendè inflammatū uolitabant, quod intuitus, ſtatim olfecit alti tonantis patris grandiſonas minas, & ſiſtebat gradum, quamuis ad belli procellam effreni curſu raperetur, non ſecus ac cum à prępupta petra ĩpetuoſus ac uento excuſſus nimbꝰ auellat inuſitatę magnitudinis ſaxū, nimbis, inquā, aut tonitru: ualles autem reſō nant illo latè uoluto, at inde feſſo impetu, fertur ſubinde reſiliēs donec deuolutum in

Mars ob ceſam filiā indignatur.

Mars fulmine deterretur à cæde Achillis

locum planum conſiſtat derepẽte, quamuis reluctanti impetu, ſic Mars impetuoſus Iouis filius, inuito animo conſiſtit, quamuis inflammato ſtudio raperetur. Siquidẽ cœlicolum regi locum dant ad unum omnes cœlites, quia eos longe ſupereminet, eſt aũt immenſis uiribus prędititus. Cæterum Martem uarijs cogitationibus ęſtuantem, mens uelox extimulauit, nunc quidem ut reueritus horrendas Iouis grauiter ira commoti minas, ad cœlum ſe reciperet, nunc uero ut deſpicatum haberet ſuum patrẽ, ſed Achillis ſanguine effrenes imbueret manus, at tandem illi animus ſuggeſſit quã multi etiã Iouis filij bello cæſi ſint, quibus pereuntibus ne ipſe quidẽ Iuppiter ſubſidio eſſe potuerit. Proinde ſe procul à Græcis ſubduxit, alioqui futurũ fuiſſet, ut triſti deiectus fulmine, cum Titanibus procubuiſſet, quod cum compertum haberet præter Iouis opinionem aliò flexit animum. At tum bellicoſi Græcorum filij dilapſi totis caſtris certatim deripuerũt cruẽta cadaueribus arma. Verũ Pelei filius magno ac reſciſſo uulnere afficitur, defigens intuitũ ad amabile robur in pulueribus proſtratæ puellæ, qua de cauſa animum illi exitioſi delacerarunt dolores

Achilles dolet ſe Pẽtheſileã interfeciſſe.

lores, haud mitius q̃ nuper amico Patroclo interfecto. Cæterum Therſites illum corã cõtumelia inceſſebat, Achilles inquiẽs, mẽte leua, quid tibi nũc demũ animũ mœrore dilacerat? cauſa Amazonis infeſtæ, quæ nobis multa mala cupiebat inferre, atqui tibi emaſculato ac in mulieres amore depereũti ſe inſinuauit in animũ, perinde ac uxor multa rerum domeſticarũ peritia imbuta, quã cum dote illibatam ambiiſti ſponſam, cupiens illam tibi ſtabili iungere cõnubio, quæ utinam te in prçlio haſta prçueniſſet, quia muliebribus illecebris plus ſatis pect⁹ eneruandum tradis, nec tibi in animo delicijs emaſculato curæ fuit, prçclarum uirtutis opus, ubi primũ tibi oculos pſtrinxit huius fœminç forma. Peſſime, quo tibi eximium illud robur? quo mens? quo uires prçſtanti rege dignæ abierunt? nec compertum habes quãta mœſtitia ſit iniecta Troianis, mulierũ amoribus in rabiẽ actis, nec eſt quicq̃ in rerum natura, quod magis mortalibus perniciem acceleret, quàm exæſtuans ille amor concubitus, qui mentem excutit etiã ſapienti uiro: at labor ſemper ſibi comitem habet gloriam, nec eſt quicq̃ quod plus ornamẽti adferat bellicoſo uiro quã uictoria,

Therſites cõuitiis laceſſit Achillem.

Venus demẽtat etiã ſapientem

Digitized by Google

& grata Martis opera, uerũ ignauo, ac belli ſtudia detrectãti, magis cordi eſt muliebris lectus, quàm qui prælio laceſcat. At magnanimus Achilles iracundia exardeſcens, ualidam manum illiſit illi in maxillã & aures, omnes tum illi dentes humi fundebãtur, & ipſe corruit pron⁹, ſanguisq́ʒ ore ꝓmanabat impetuoſe, & ſtatim imbecillis anima nauci corp⁹ uiri deſtituit: gaudebat enim Græcorum populus, nam hos ubiq; cõtumelijs inceſſere non ceſſabat, quin ipſe tamen omnibus maderet uitijs: nam probro fuit omnibus Græcis, & ſic certe dixit quiſpiam bellicoſorum Græcorum aperte nihil muſſitans, ut fit, quãdo magna adeſt rei indignatio, æquũ eſt, ut impudens lingua magnum detrimentum ſortiatur, quæ ſemper mortalibus dolorẽ dolore cumulat, ſic dixit fortaſſis Græcorum quiſpiam. At Achilles efferueſcenti iracundia in hæc uerba prorupit, Iace nũc in pulueribus, inſipiẽtiæ tuæ oblitus: eſt enĩ præter decorum, ut uir ignauus contentionem ſuſcipiat cum præſtantiori uiro, qui & antea ſtrenuo Vlyſſi ſtomachum mouiſti, multa illi dicens conuitia, ſed non Achilles illi ſimilis eſt eſſe uiſus, qui animã tibi extinxit. Non perinde ualida manu cædẽs, te

Thetſites ab Achille ĩterficitur.

tamen

tamen ferreus urget ſomnus, & ęterna clau dũtur pectora nocte, idq́ʒ tua imbecillitate, ſed amolire te procul à Gręcis, & apud [redacted] manes [redacted] cõtumelias dicito: ſic dixit uiribus præſtans Achilles, ac Diomedes ſolus ex omnibus Gręcis Achilli ſuccenſebat, ob proſtratum Therſitẽ, quia ab eius ſanguine genus ducere gloriaretur, quoniã hic erat illuſtris Tydei fortis filius, at ille Agrij diuini uiri, Agrij inquã, qui Aenæi frater fuerat. Verũ Aenęus bello inter Græcos pręſtantiſſimũ genuit filium Tydea, quo patre natus erat fortis Diomedes, quo circa ob Therſitem interfectũ indignabatur maxime, & Achilli manus intuliſſet, niſi illũ refrenaſſent præſtantiſſimi Græcorũ filij, turmatim ſumma ope conati mitigare, ſic quoq; ab alia parte Achillem cohibebant, alioqui certe futurum fuiſſet, ut iam Gręcorum præſtantiſſimi ferro inter ſe dimicare non dubitaſſent: nam ad id illis malus furor faces ſubdidit, ſed illi amicorum perſuaſi admonitionibus hanc exuerunt mentem. Cæterum Atridæ reges deplorantes interitum præclarę Penthesileæ ſimul & ipſam ſuſpicientes, tradiderunt Troianis auferendam in urbem, cum ſuis armis. Nam ex nuncio quẽ miſerat Pria

Diomedes ob Therſitem Achilli idignatur.

mu;

mus, didicerunt induxiſſe eum in animum magnanimam puellam ſimul cum armis & equo condere ſepulchro opulenti Laomedontis, & illi altam & latam congeſſere pyram ante urbem, cui ſuperpoſuere puellam cum multis rebus, quas par fuit igni cõfundi cum opulenta regina: & hanc quidẽ abſumpſit magna uis Vulcani, nẽpe pernicioſa flãma: at populus circumſiſtens certatim pyram extinxere oderato uino, & collectis oſſibus abunde ſatis farinæ ſuperfudere, & caua urna cõdiderunt & iniecere pinguedinem bouis prę ſtantiſſimę inter omnes quę paſcerentur in Ideis montibus. Cæterum Troiani circumquaq; ut delectam filiam lugentes circa muros in ædita turri, iuxta oſſa Laomedontis illam ſepulchro condiderunt, maximo ſe dolore affligentes, Marti ſimul & ipſi Pentheſileæ gratificantes, & prope ſepelierunt Amazones, quæ illam ſequutę prelio à Græcis cęſæ eſſent, nec illis Atridæ lugubrem inuiderunt ſepulturam: nam id conceſſere Troianis, ut ſimul cum cadaueribus tutò ſe telorum iactui eriperent: nõ enim ſolet ira in defunctos deriuari, ſed miſericordia ſuccedere cum non amplius ſint hoſtes, animo quippe hoſtili extincto. Porro

Digitized by Google

ro Græci ab alia parte dederunt Vulcano multos Heroas, qui feruore prælij inter ſuos Troianorũ manibus orco dati ſunt, quorum obitus magno affecit uulnere cunctos Græcos, ſed ſupra omnes alios præſtantis Podarcis caſum lugebant. Nõ em̃ amplius in pugna requirebat eximium uirum Proteſilaum fratrem, quandoquidem ille antea ab Hectore obtruncatus eſt. At hic Pentheſileæ haſta proſtratus, magnã iniecerat Græcis mœſtitiã omnibus, quare aliam promiſcuam interfectorum turbam ante ſepelierunt: at illi ſoli magno labore conſpicuum extruxere tumulum, quia infracto erat animi robore, dein cum Therſitę nihili uiro ſeorſum tumulum aggeſſiſſent, ad naues ſe receperunt, magnum delaturi honorẽ Achilli Eaci nepoti. Tum ſplendida lux Oceano condebatur, & terris ſpargebatur nox diua tum certe in caſtris ditis Agamennonis cõuiuia agitabat Achilles, qui cum & alij optimates epulis diffundebãt animos donec aurora appeteret.

Quinti

IN SECVNDVM LI-
brum argumentum.

TRoianis, morte Pentheſileę, perculſis, author eſt Palidamas, ut Helenā Gręcis reſtituant, ſed Paris in aduerſum nititur. Interea Troianis opem laturus adijt Memnon, numeroſiſſimū ductitans exercitum, & in aciem prodiens magna ſtrage afficit Græcos, ac cæſo Anthilocho in maximum luctum conijcit Neſtorem, qui Achillem ſuis quærelis ad ineundū cum Mēnone prælium extimulat, ſed hi inter ſe commiſſi, diutius pugnam trahunt, Ioue quippe utriq; robur addente, Tandē Achilles Mēnoni enſem in pectus abdidit, quare Aurora inuſitato quodā luctu ſe afflictabat, nec amplius ſuo lumine terram illuſtrare uoluiſſet, niſi Iupiter eam, deiectis fulminibus, in cœlū reuocaſſet.

Digitized by Google

QVINTI CALABRI DERELICTORUM ab Homero Liber ſecundus.

AT cum ardua montium iuga ſplendidum ſolis iubar luſtraret, præſtantes Græcorum filij in caſtris animo obſequebãtur, indefeſſum Achillem laudibus efferentes. Verum Troiani per urbẽ luctu ſe conficiebant, & turres obſidentes ſpeculabãtur, quia erat om̃ibus iniectus terror, ne muros ſcanderet uir impetuoſus, & ferro & igni omnia uaſtaret, quos ita ſeſe affligtantes tali oratione adortus eſt ſenex Thymetes, Haud poſſim equidem uiri amiciſſimi animo concõcipere, quod huic triſti bello remedium inueniamus, cum quippe Hector ceciderit, qui cum hoſtibus manus cõſerere, & antea Troianis magno præſidio eſſe ſolebat, at hic mortem effugere non potuit, ſed Achillis manibus deiectus eſt, qui etſi cum deo certamen iniret, potiretur uictoria, quemadmodum & hanc pugna ſeparauit Pentheſileam,

Thymetæ oratio.

Digitized by Google

lea, quæ aliis omnibus formidinem incuſſit, erat enim horrenda. Ego ubi illam primum uideram, perſuaſum mihi habebā dearum quampiā cœlitus nobis ſuppetias ueniſſe, ut mœſtos noſtros animos lętitia diffunderet. Id autē procul aberat à uero, ſed agedum diſpiciamus cōſilio quid factu optimum, amplius ne cum hoſtibus infeſtis bello diſceptabimus, an deſerta urbe fuga ſaluti conſulemus. Nam id quidem pro indubitato eſt, non poſſe nos Græcis pares eſſe, dum quidem ſęuus Achilles in aciem prodeat. Vbi hic dicēdi finē fecit, excepit Priamus, Abſit hoc procul ô amice, uosq; alij Troiani & ſtrenua auxilia, ut turpi iniecta formidine noſtra patria cedamus, nec quoque autor ſum uobis, ut amplius infeſtis ſignis cū hoſtibus concurratis, ſed ut è turrib⁹ ac muris arceam⁹ uim hoſtiū, tātiſper dū magnanimus Memnon ſe huc cōferat, dictitans infinita hominū genera, quę nigram Aethiopiam incolunt. Nam iamiam exiſtimo illum non procul abeſſe à noſtra regione, ſiquidem non ita nuper eſt, quod maxime diſcruciatus animi, nūcio certior factus ſum, at hic lubēter mihi pollicitus eſt ſe exequuturum omnia, ubi acceſſerit Troianam urbem,

Priamus in aduentum Mēnonis reiicit Troianos.

urbem, & adductus ſum in ſpem illum breui adfore, proinde ſuſtinete, cedo, pauliſper, quandoquidē multo ſatius eſt forti pectore in prælio mortē oppetere, q̃ fuga dilapſos probroſam apud exteras nationes uitā degere. His dictis conticuit ſenex, ſed ſapienti Pulidamanti nō amplius cordi erat pugna, & prudentem orationē habuit. Si quidem, inquit, nobis Memnon apertè annuit ſe excuſſurum noſtris ceruicibus imminens exitium. Haud equidem inuideo, ut in urbe diuum uirum opperiamur, ſed uereor ut uir ille, ſuos omnes in aciē educens, ſub iugum mittatur, & multis ſimul aliјs noſtrum exitio fuerit: nam mirum in modū creuerunt Grȩcorum uires. Sed agite ne procul deſerta patria, magnam nobis infamiam concilie mus, ob deteſtandā illam ignauiam in exteram terram penetrātes: deinde ne in patria manentes mactemur à Græcis in prȩlio. Iā Græcis certe (etſi non admodum conduceret) reddamus præclaram Helenam, & omnes poſſeſſiones, quaſcunq; è Sparta adduxit, quin & alia omnia multò cumulatiora addentes, pro ciuitate & nobis ipſis, ne iniquæ illæ gentes noſtram poſſeſſionem diuidant, nec ciuitatem noſtrā hoſtilis hauriat

ignis. Proinde nunc mihi eſtote dicto audientes, nec puto quenquã aliũ inter Troia nos ſanius conſilium ſuppeditare poſſe, & utinam antea meo præcepto morem geſſiſſet Hector, quum illum in urbe detinere uolebam: ſic dixit fortis Pulidamantus, & omnes Troiani eius ſententiæ taciti ſubſcribebant, at id in propatulum efferre non audebant: nam ad unum omnes & metuebãt & uerebantur regẽ ac Helenam, quamuis eius cauſa excidio darentur. Cæterum Pulidamanta, licet ſtrenuum uirum, magnis tamen probris inceſſebat Paris. Pulydamas, inquit, tu pugnæ fugitans es, & imbellis, nec unquam ſubijt tibi pectus animus bellicoſus, ſed terror & fuga, tu te in conſilijs haud poſteriores ferre iactitas, cũ deteriora ſemper conſilia tibi ſunt in promptu, ſed age, tu ipſe à pugna abſtineas licebit, & in tuis ædibus compreſſis manibus ſedeto. At alij me ſtipantes, ad prælium ſe accingant, dum ex ſententia machinam aliquam huius patrandi belli inuentam demus, qua noſtris hominibus magna cumulabitur gloria, uerum fuga ſemper cordi fuit pueris aut mulieribus, quos tu toto animo exprimis, nec unquam tibi, cum acie decerneres, obſecundare

Aſtipulantur omnes Pulydamãti ſuadenti reddendã Helenã.

dare potui: nam efficis ut aliorum concitatę uires flacceſcant. Hæc ubi magna cõtentione dixiſſet Paris, iracundia efferueſcens, Pulydamas reſpondit: non enim uerebatur illi obſtrepere, nam erat horridus, improbus, ac mente leuis, qui coram grata palpatione demulceret præſentes, ſed diuerſa animo premeret, & occultè abſentis æſtimationẽ lęderet, quocirca etiã propalam admodum laceſſebat egregium uirum. Me miſerũ, inquit, tu omniũ qui luce fruuntur pernicioſiſſime, in quantam calamitatem tua temeritate incidimus, tu animo obduruiſti aduerſus infinitam pugnã, & obdureſces, donec patriam cum tuo populo deuaſtatam uideas, ſed faceſcat procul à me talis temeritas, quin potius adſit tutus metus, ut familiæ incolumitatem auctiorem reddam: ſic dixit. At nihil Pulidamãti reſpõdit ampli9 Paris: nam uerſabatur ſibi ob oculos, quãtos mœrores Troianis attulerit, & in poſterum allaturus eſſet, quoniam eum inflãmatus animus ad mortẽ obeundã potius accendebat, quàm ut diuinam Helenam abs ſe auelli pateretur: cuius cauſa Troiani ex æditiſſima urbis parte ſpeculabantur, metuentes & Achillis, & aliorum Gręcorum aſſultũ. Cæte

 rum

Digitized by Google

Venit Memnon ſubſidio Troianis.

rum non multò poſt bellicoſus aderat Memnon, Memnon, inquã, qui nigris Aethiopibus imperitabat, & uenit, ſecũ ductitans infinitas copias, & Troiani lætabũdi illum per urbem intuebantur, non ſecus, ac nautę aduerſa tẽpeſtate preſſi, conſpiciunt in ęthere Vrſæ maioris fulgorem, quo duce Græci in nauigando utuntur, ſic populus circũſiſtens gaudio perfundebatur, & ſupra omnes Priamus, magna enim ſpes habebat ei⁹ animum, fore, ut igni Græcorum naues uaſtaret, opitulantibus Aethiopibus, quia habebant eximium regem, & ipſi erant infinita quadam multitudine, omnes manu prompti, qua de cauſa, Priamus Auroræ filiũ egregijs donis, & feſtiuis delectationibus condecorabat, at in cõuiuio inter ſe ſermones conſerebant, hic quidem commemorans, quinam apud Gręcos maximè uirtute eniteſcerent, ac quanta mala perpeſſus ſit, ille uerò patris & matris Auroræ uitam, & immenſa Tethydos fluenta, & uorticoſi Oceani ſacrum fluxũ: deinde terminos terræ & exortum ſolis, & uniuerſi itineris ſui rationẽ, ab Oceano uſq; ad Priami urbẽ, ac montis Idę iuga. Præterea quo pacto fuderit ac ſtrauerit ualida manu ſacrum Solymonum exercitum,

citum, qui uenientem intercludere nitebatur, quare illos calamitate & intolerando affecerit exitio. Porro ut hæc oratione proſequutus eſſet, & oculis perluſtraſſet infinitas copias, audienti Priamo, miro gaudio pręteñtabatur animus, & illum manu demulcens honorificè alloquebatur, O Memnon deorum beneuolentia mihi datum eſt, ut tuum exercitum & teipſum in meis ædibus uiderem: utinam id mihi quoq; effectum redderent, ut ueſtris haſtis omnes Græcos ſterni cernerem: etenim mirum eſt quàm prope accedas ad deorum immortalium ſimilitudinem, ita ut nemo alius terreſtriũ heroum, qua de re adducor, ut credã te lachrymabilẽ inter eos ſtragem ęditurũ. Nunc age conuiuijs animũ expleas, deinde uerò pugnam aggredere, ut decet: ſic dicens latum poculum manibus tollens beneuole Mẽnonem accepit, magno illo & aureo poculo, quod certe pręclarum opus prudens ac utroq; pede claudus Vulcanus, omnipotenti Ioui dono dederat, cum Venerem uxorẽ duceret: at Iuppiter eo Dardanum diuinum uirum ſuum filium donauit. Hic uero dedit Erichthonio filio: at Erichthonius Troi magnanimo, ſed hic id reliquit Ilo cum alijs poſſeſ

ſionibus, Ilus autem donauit Laomedonti, uerum Laomedon Priamo, qui id filio ſuo erat daturus, ſed id illi deus minime effectũ reddidit. Porro illud poculum admodum pulchrum tractans, admiratus eſt in animo Memnon, & talia interpellato ſermone ſub iecit, Nõ eſt decorum, ut quis ſe nimium in conuiuio iactitet, aut pollicitationibus annuet, ſed tacitus in ædibus epuletur, & quæ res poſtulet machinetur. Præſtans ne uir ſim & ualidus, an ſecus, id cognoſces in prę lio, ubi cernitur uiri uirtus. Nunc autem cu rę nobis ſit lectus, nec in noctem trahamus potationẽ: nam immoderatus uini uſus ini micus eſt properanti ad prælium, & etiam triſtis inuigilia. Hæc dicentem ſenex ſuſpiciens alloquitur, Ipſe te ubi uelis conuiuio ſubducito, & tuo animo morem gerito, nõ equidem tibi uim fecero: eſt enim pręter decorum, & decedentem conuiuio detinere, & manentem domo exigere: (haud temere id uiris fas eſt) ut dixit, hic conuiuio ſe eripuit, & petijt cubile ultimum, ſimul & alij conuiuæ iuêre corpus ſomno curatũ, quos omnes ſuauis ſomnus complexus eſt. Porro in Iouis tonantis ædibus, dij cõuiuia agi tabant. At pater Saturnius, haud ignarus tri

ſtis

ſtis belli operum, ſic orſus eſt, Habetis ò dij exploratiſſimũ, quanta craſtini belli clades impendeat, nam uidebitis hoc bello ualidiſſimos quoſq; equos circum currus deijci, & uiros exitio dari, quorum ſi quiſquam hic ueſtrum ſolicitudine diſtringatur, maneat, neq; ſupplex mihi uoluatur ad genua : nam & nobis crudelia fata dominãtur. Hęc protulit in medium, etiã ipſis ſcientibus, ut qui indignaretur, bello deſcederet, nec motus ob filium aut amicũ, fruſtra ſe reciperet in magnum olympum, quæ, ut didiciſſent ex altitonanti Ioue, in animo concoquebant, nec quiſquam contra regem uerba facere audebat: nam mirum in modum exhorrebant illius immenſam potentiam, & mœrore affecti ſe cubitum recepêre, ubi quiſq; ſuas habebat ædes : illorum autem (quamuis immortales eſſent) palpebris momentanea ſomni cõmoditas diffundebatur. Tum arduorum montium iugis fulgidus ſurgebat Lucifer, qui manipulorum collectores ſuaui ſomno detẽtos, ad opus excitat, tum bellicoſum Auroræ filium poſtremò ſomnus liquit, qui ipſe ſibi animos confirmans, iam cum hoſtibus, infeſtis ſignis concurrere auebat, proinde Aurora, pręter ſui animi ſenten

 tiam

Digitized by Google

tiam, magnum olympum conſcendebat, & tum Troiani muniebãt ſe armis bellicis, & cum his Aethiopes quoq;, & aliæ etiã gentes quæcunq; totis caſtris Priamo ſubſidio uenerãt, & præproperê pro mœnibus ferebantur atris nubibus ſimiles, quas Iuppiter mota tempeſtate excitat, magna ui aëris coacta, ſtatim igitur diſſertus erat uniuerſus campus, hi autem infundebantur locuſtis in promontorijs ſimiles, quæ feruntur ſupra latam terram, in morem nubis aut impetuoſæ pluuiæ, magnã annonę penuriam mortalibus allaturæ, ſic illi erant & copioſi & fortes, circumquaq; autẽ uiæ gemebant illis ruentibus, & pedibus ſuboriebatur puluis: at ſeorſum Gręci obſtupuerunt, ubi uidiſſent illos tanto impetu rapi, ſtatim corpus ferro obarmabant, Achillis fortitudine freti, qui uolitabat per medios, ualidos gygantes, corporis uiribus exprimens, equis & currubus inſignis, cuius arma in morem fulminis quacunq; fulgorem eiaculabãtur. Qualis ab Oceani terminis progreditur ſol mortalibus lucem promens, ac in cœlo refulgens, circumquaq; arida terra & ęther arrident, talis inter Gręcos pręminebat Achilles, & ſic Troianis ſtipatus bellicoſus prodijt

dijt Memnon, ruenti Marti prorſus ſimilis, populus longe lateq́ꝫ circumfuſus, magno ſtudio regem ſequebatur, & ſtatim utriuſque partis explicatæ phalanges, nēpe Troianorum & Græcorū laborabant, ſed præminebant Aethiopes, & ſublato clamore concurrerunt, ut cum oborta tempeſtate, undiq; irruentibus uentis fluctus colliduntur, & ſeſe mutuo deiecerunt, politas haſtas torquentes: at ploratus & ſtrepitus quocunq; per aciē graſſabantur, ut quando ſonori amnes magnum miſcent ſtrepitum in mare illapſi, denſiſſimis quippe diffuſis ęthere nimbis, ubi nubes uehemētiſſimè reſonant, mutuo impetu delectatæ, antea autem ſublatus eſt fragor, ſic iſtis præliantibus, admodum ſub pedibus reſonabat immenſa terra, & per aëra magnum, horridus ferebatur clamor: nam utrinq; magna uociferatione concurſum eſt. Hic Achilles petijt Thalium & prę ſtantem Mentan, ambos belli gloria nobilitatos, & multos præterea manu ſternit: ut cum terrę cauernis impetuoſus uentus ſuboritur, ſtatim omnia per terram ſuis ſedibus cōuulſa, ruina diſſipantur, magno enim motu quaſſatur terra, ſic illi in puluerem repentino corruebant fato, idq́ꝫ haſta Achillis:

D v nam

Digitized by Google

nam hic magno animi furore abripiebatur, ad cuius exemplum ab alia parte prçſtans, Auroræ filius Græcos cçdebat, malo fato ſimilis, quod rabiem & grauem perniciē populis adfert, primum quidem deiecit Pheronem, pectus illi pernicioſa haſta tranſuerberans. Deinde neci dedit diuum Erenthum, qui ambo, imflāmato ſtudio, ad bellum ac triſte prçlium rapiebantur, ac Thryon incolebant, iuxta Alphei fluenta, & duce Neſtore, expeditionem fecère ad ſacrū Ilium, quibus cum ſpolia diripuiſſet, inuaſit Achillē, illum orco mittere cupiens, in quem progreſſus Antilochus, diuina forma prçditus, longam haſtam torſit, ſed aberrauit, illo nō nihil haſtæ impetum declinante, intimū uero illi amicum ſuſtulit Ethopen Pyrraſi filium: hic autem ira accenſus ob illum interfectū exilijt in Antilochum, ut leo magnanimus in caprū: nā & is ipſe optime nouit infeſto prælio cōcurrere, uel uiris, uel feris, ut qui inuſitato quodam impetu effertur, tanto hic impetu irruit, ille autem magnū ſaxum iaculabatur, nec huic tamē caput cōminuit, nam ualida galea triſtem illi depulit cçdem, at ita iactato, efferbuit pectus iracundia: nam circumquaq; illi galea crepuit, &

maiore

Digitized by Google

maiore inſuper furore ferebatur in Antilochum: uires enim ebullierūt, ergo Neſtoris filium, magnum licet bellatorē, ferijt ſub papilla: penetrauit autem illi cor ualida haſta, ubi ſubitum mortalibus eſt exitium, at illo deiecto, magno mœrore afficiebantur cuncti Gręci: maximus autem patris animū penetrauit luctus, filij ſub ſuo conſpectu interfecti: nullus enim grauior dolor occupat mortaliū animos, quàm ubi filij exitio ſternuntur, cernentibus parentibus: magno igitur cruciatu torquebatur, filio ſuo malo fato proſtrato, præpropere autem accerſijt filium ſuum Thraſymedem, procul ſemotū. Te huc ô pręclare Thraſymedes corripias, ut tui fratris & mei filij interfectorem procul amoueamus à triſti cadauere, aut & ipſi iuxta illud, acerbæ occumbamus morti, ſi enim tibi pectus formidine concutitur, nō es certe ex me natus, nec ex præclara illa ſtirpe ortus, quæ non detrectauit etiā cum Hercule, prælio dimicare, ſed agedum adnitamur, quoniam ſæpe neceſſitas magnū addit robur pugnātibus, & ſi plane nauci ſint homines, ut dixit. Ille id audiens acerbo dolore confundebatur, ſtatim autem accurrit Phereus cuius etiam animum interfecti re-

gis

gis cauſa, dolor occupabat. Proinde magno animi impetu agebantur, ut cruenta pugna committerentur forti Memnoni, ut quãdo uenatores per reciprocos ſyluarũ receſſus, in arduis mõtibus magno animi ęſtu, feræ nẽpe, aut ſui aut urſo in aduerſum rapiũtur, cupidi interficere, hic autẽ in utroſq; expedita temeritate irruẽs, uirorum robori reſiſtit, ſic tunc Memnon magnũ ſuſtulit clamorẽ, at illi prope acceſſere, non potuerunt tamen illi longis haſtis uitam adimere, aberrauit autem cuſpis procul à corpore, nam hanc longe amouit Aurora, non tamen irrito iactu humi deijciebantur haſtæ, ſed magnanimus Phereus prompto animo ſtatim ad orcum miſit Polymnum Megetis filiũ. At impetuoſus Neſtoris filius trucidauit Laomedontem, ira accenſus ob fratrem, quem Memnon acie ſtrauit, & illi manibus indefeſſis arma ærea diripuit, nihil ueritus aut Thraſymedem aut pręſtantem Pherea: erat enim multo præſtãtiſſimus, ſed ut lupi citato curſu ceruũ inſectantes, ad leonis cõſpectũ ſubſiſtũt, nec, trepidatione iniecta, ultra progredi audent: uerũ Neſtor preſſius eum intuitus, miſeros ciebat ploratus, & hortabatur alios amicos, ut in hoſtes irruerent,

nec

nec ipſe curru deſiliens, eum detrectauit laborem, quia interfecti filij deſiderium præter uires ad pugnam traxit: futurum enim fuiſſet, ut in uaſta illa ſtrage, & ipſe cũ charo filio animã profudiſſet, niſi magnanimus Memnon illum ruentẽ compellaſſet, reuerentia adductus, quia ſuo patri coæuus fuerat. O ſenex, honeſtas certe non fert, ut tecũ manus cõſererem, qui tam prouectæ ſis ætatis: nam id facile mecum ratione ineo, ſi me hercule te uirenti ætate conſtitutum, & bello pręſtantem, in aduerſum hoſtem rapi uiderem, iudicaret certe magnus animus, mea manu & haſta dignum eſſe opus, ſed te procul è pugna ac triſti ſtrage ſubducito, ne cõpulſus neceſſitate, telum in te uibrem, ac tu cum multo præſtantiori uiro certamen iniens, apud filium tuum collapſus expires, & te mente captum cenſeant homines: non enim decorum, præſtantiori ſe obuiã ferre. At ſic prolocuto reſpondit Neſtor, O Memnon, hæc omnia uana ſunt quæ loqueris: nemo enim me pro filio hoſtibus negotiũ faceſſentem, & acerbum filij trucidatorẽ à cadauere pugna arcentẽ, parum mente conſtare, dixerit. Vtinam mihi ſtabiles adeſſent uires, ut & meã haſtam noſcere poſſes: nunc

autem

Digitized by Google

autem magna efferris iactantia, quia florentis ætatis homini animus eſt temerarius, & mens leuior, quare etiam arrogantia intumeſcens, uaniloquentia uteris, ſi mihi ætate florenti te obuiam tuliſſes, non fuiſſent gauiſi amici, quãuis fuiſſes uir fortis, nunc moleſta ſenectute conficior, ut leo, quem canis fidenti pectorẽ ouili arcet, hic autem nõ poteſt ſibi ipſi eſſe pręſidio, quamuis id impenſius cupiat, non enim ſunt illi ſolidi dentes, nec uires, & ualidum pectus ætate abſumptum eſt, ſic mihi robur nõ excitatur in pectore, ut antea, attamẽ multos alios anteeo, paucis autem cedit mea ſenectus, ſic dicens paululum retro abijt, & deſeruit in puluere filium, quoniam non amplius integræ aderãt uires flexilibus membris, ut antea: nam iamdudum illi laborioſa ſenectus oneri fuerat, ſic quoq; re infecta terga dedit, & Thraſymides, & magnanimus Phereus quoq;, ac omnes alij amici metu perculſi, nam acrius in eos inuehebatur uir pernicioſus, ut quando magnis montibus uorticoſus amnis, immenſo ſtrepitu reſonans, præcipitatur, cum cœlum nubibus obducit Iupiter, magnam ciens tempeſtatem, ubi autem perſtrepunt tonitrua cum fulminibus, colliſis uehementer

ter

ter nubibus, caua arua perluuntur, imbre irruente, circumquaq; autem longi torrentes horrēdo miſcētur murmure, omnibus deiecti montibus: ſic Memnon magno impetu ferebatur ad Græca Helleſponti littora, & tergis fugientiū inhærēs, magnam perpetrabat ſtragem, multi puluere & ſanguine miſti, Aethiopum manibus obtruncati ſunt: polluebatur autem terra pereuntium Græcorum cruore, & magnum animo gaudiū concipiebat Memnon, ſemper ordines irruendo perrumpens, & circumquaq; cadaueribus premebatur Troianum ſolum, nec pugna abſtinebat, exiſtimauit eñ ſe lumen fore Troianis, Gręcis autē exitiū, ſed illi triſte fatū fucū fecit, prope cōſiſtens, & ad pugnā faces ſubdens: ſtipabant autē illum robuſti famuli, ſtrenuā nauantes operā Alcioneus, Nychius, & Aſiades, magno animo prędítus, & bellator Meneclos, & Alexippos, & Cladon, & alij pugnę cupidi, qui & ipſi magnis uiribus præliū capeſſebant, ſuo rege freti. Et tunc Achilles Meneclū acrius in Gręcos inuectū interfecit, ac Mēnon ſtomachatus ob interfectū amicū, deuaſtabat magnā Gręcorꝫ cateruā, ut quādo per montes uenator inſultās, ueloces ceruos premit

ad

Digitized by Google

ad retia, & illis iam turmatim pernicioſo lino coactis, & extremo capturæ dolo circumuentis iuuenum conſilio, canes crebro latratu omnia miſcent, tum hic telis exultãs lachrymabilem hinnulis uelociſſimis cædẽ infert. Sic tunc Memnon bonã exercitus partem deleuit, ſocij quidem circumfuſi gaudio exiliebant: Græci uero præclaro uiro terga uerterunt, perinde ac ſaxo aliquo ab arduo monte præcipitato, quod cœlitus indefeſſus Iupiter, ſuſpirioſo fulmine in præceps egit, hoc igitur per loca ſyluis obſita, & longas ualles diuulſo, ſaltus reſonant, ſi quæ illo uoluto per ſyluam paſcantur oues, aut boues, aut quicquã aliud, formidine implentur & exiliunt, accipientes horridum ac triſtem illum ſonitum: ſic Græci horrendam haſtam Memnonis magno impetu ruentis fugiebant, & tũ propius acceſſit Achillem Neſtor, & magno ob filij necẽ accepto uulnere inquit, O Achilles, magnũ fortium Græcorum munimentum, perijt mihi dilectiſſimus filius, habet arma eius Memnon, uereor ut canum fiat dilaceratio, ſed repente opem feras, quoniam ille cenſendus amicus, cuius animo non delet obliuio memoriam amici mortui, dolet enim extinctum,

ſic

ſic dixit Neſtor. At Achilles id audiens, animo angebatur, ubi didiciſſet, Mēnona Græcos lachrymabili prę lio turmatim haſta ſternentem, extemplo relictis Troianis, quos bello præſtans cædebat, pernicioſis phalangibus ſtipatus, recepit ſe ad Memnona, ira percitus ob Anthilochũ & alios cæſos. Porro diuinus uir Memnon, ſaxũ campo quod forte iacebat, limes agro poſitus, litē ut decerneret aruis, manu raptum torquebat in clypeum inuicti Achillis, at hic non deterritus ſaxi magnitudine, ſtatim pedem contulit, longam illi haſtam obtendens, pedes. Nam eius equi erant in caſtris, & illi dextrum humerum ſupra ſcutum ferijt, at hic, quamuis uulneratus, intrepido furebat animo, & ualidā haſtā uibrauit in Achillis brachium, unde ſanguis emittebatur, ac temere gauiſus heros, confeſtim illum faſtuoſis dictis cōpellat, Nunc te meis, ò peſſime, manibus ſuperatum, triſti fato conceſſurum puto, nec fore, ut ullo pacto te ſtragi ſubducas, Quid tam miſeris modis perdis Troianos? te iactitans omniũ multo eſſe præſtantiſſimum, ac matre īmortali, nempe Nereide natũ: ſed iam te urget fatalis dies, quia à deo traho originem, bellicoſus Auroræ filius, Memnon Achilli cōmittitur.

E quem

quem procul apud Oceani fluenta, ſubditæ Heſperides educarũt, qua de cauſa te in prælio ſuſq; de'q; habeo, exploratum habens, quanto diua mater præſtat Nereidi, unde gloriaris te natum: nam hæc dijs & hominibus lumen præbet, quo in magno olympo omnia pręclara & bona cõficiuntur opera, quæ quidem hominibus utilitatem adferunt: at illa, in turbidis maris latibulis recũbens, ætatẽ degit, cum Balęnis & piſcibus glorians, nullis rebus præclarẽ geſtis illuſtris, proinde hanc nullo numero habeo, nec immortalibus deabus parẽ cenſeo. At ſic locutũ acerbis dictis adoritur Achilles, O Memnon, quo te mens leua impulit, ut te mihi obuium ferres, ac præliandi arte parem cenſeres, qui te longe anteſto, tum uiribus, tum genere, tũ quoq; naturæ dotibus, ut qui præclarũ genus ducam, & à Ioue magnanimo & ualido Nereo, qui marinas genuit nymphas Nereidas, quibus etiam cœlites omnes magnum honorem deferunt, & ſupra omnes, Thetidi optimis conſilijs inſtructæ, quia aliquando ſua domo acceperat Bacchum, cùm fuga ſe ſubtraxerat, pernicioſis Lycurgi manibus: deinde etiã Vulcanum cœlo præcipitatum, quin & ipſum

Iouem

Iouem quomodo uinculis exemerit, quæ alta mente repoſta ſeruantes dij omnes, matrem meam honoribus afficiunt, in magno olympo, nec tibi quoq; id obſcurũ erit, ubi noſtris lacertis, uibrata haſta tuum iecur penetrauerit: de Hectore quidem, iratus ob Patroclum pœnas ſumſi, tu ob Antilochum mihi ſupplicium lues: non enim imbellis uiri amicum neci dediſti, ſed quid ad ſtolidorum puerorum exemplum ſtamus, iactabunda oratione, aut noſtra, aut noſtrorum parentum fortia facta proſequentes? iam & Mars in promptu, nec uires abeſſe decet. Sic fatus, lõgũ enſem manibus eduxit, ſic quoq; alia parte Mẽnon, & ardenter cõmiſſi ſunt, ac ferocientes animis, tundebant indeſinenter mutua ſcuta, quæ Vulcanus diuina arte fabricatus erat, & crebro irruentes tangebant mutuis criſtis, utrimq; fixæ galeæ, cæterum Iuppiter beneuolus magnum utriq; robur adiecit, effecit enim illos indefeſſos, & ſolito maiores, nec quicquã uiris, ſed dijs plane ſimiles, contentio utrumq; gaudio arrexit, & cupidi, ſtatim haſtam per corpus, inter ſcutum, & criſtis inſignem galeam impellere, ſæpe explicabant omnes uires: deinde iterum parum ſuper tibiale infra thora

 cem,

Digitized by Google

cem, robuſtis aptatum membris, ambo con nitebantur, & arma humeris circumſonabant. Feriit autem æthera clamor Troianorum, & Aethiopum, & fortium Grecorum, qui utrinq; infeſtis ſignis, cōcurrebant: puluis autem ſub pedibus motus, ad cœlum uſque ſubuoluebatur, quia admodum feruebat opus, ut nebula circumfuſa montibus, cum nimbo cōmoto ſonora implentur flumina, aqua mōtibus præcipitata, & immenſum ædunt fremitum torrētes, at cuncti paſtores formidine implentur, ob torrentes, & nebulam rabidis lupis gratam, aut aliis feris, quas paſcit immenſa ſylua: ſic quoque ſub horum pedibus triſtis excitabatur puluis, qui æthera obumbrans, ſolem abſtulit, & magna incidit populo calamitas, tum ob puluerem, tum ob pernicioſam pugnam, quam deorum quiſpiam in uigore tenuit, & pernicioſa fata atras utrinq; phalanges accendebāt, ut immenſum laborem in pugna lachrymabili exhaurirent, nec horridæ cædi Mars faciebat modum, circumquaque autem effuſo cruore polluebatur terra, & atra imminebat pernicies, ac morientium ſtrepitu miſcebatur magnus campus, quemcunq; ſuo fluxu Simois uel Xanthus alluunt, qui

amnes

amnes ab Ida monte in Helleſpontum dilabuntur. At ubi diutius prælium extraheretur, & ęquo Marte inter ſe dimicarent, tum ſeorſum ex cœlitibus, qui ſe pugnæ ſpectatores exhibuiſſent, alij quidem magnam capiebant uoluptatem, cernentes Achillem, alij uero Tithonis & Auroræ filium: deſuper autem cœlum intonuit, & circumiectũ mare inhorruit, & terra adiacens concutiebatur, ſub utriuſq; aciei pedibus, tum metu exhorreſcebant ob Achillem, omnes Nerei filiæ, quæ Thetidem ſtipabant, & inuſitata quadã formidine implebantur, quin & ipſa Aurora filio ſuo metuit, equis per ęthera uecta, illamq́ꝫ Solis filię admirabãtur circumſiſtentes in diuino circulo, quem, indefeſſo Soli, Iuppiter in annuum curſum præbuit, in quo omnia & uiuunt & moriuntur, æuo indeſinenter per dies circumacto, annis nempe continuo uoluentibus, tum certe & dijs ipſis acerba incidiſſet contentio, niſi Iouis magnitonantis monitu duæ utrinq; acerbę Parcę repente adfuiſſent, quarũ hæc quidem inuaſit animum Memnonis, altera uero hilari uultu ad Achillem ſe recepit, quas intuentes dij clamorem ſuſtulerunt, ſed hos quidẽ magna occupauit triſtitia, at aliorum

uultus ſplendido gaudio eniteſcere incepe-runt. Cæterum heroës cruento prælio inter ſe cõflictabantur ſine intermiſſione, nec animaduerterunt aduentantes Parcas, magna ui ſibi mutuo illata, dixiſſes tũ illos lachrymabili prælio cõmiſſos, ut gygãtes indomitos, aut fortes Titanas, nam ualidũ inter eos coortum erat certamen, uel cum ferro cominus rem gererẽt, uel cũ ſaxa immania impetuoſe iacularentur, nec quiſquam, cum ita ſaxis impeterentur, terga uertit, aut metu deijciebatur, ſed ut montes ſtetêre immoti, magno obarmati robore, nam uterq; à magno Ioue ſe genus ducere gloriabatur: quare etiam eos ęquo Marte commiſit Bellona, multo tempore illa pugna colluctantes, uel eos ipſos, uel amicos intrepidos, qui ſuorum regum cauſa, promptiſſime magnũ laborem ſubierint, tantiſper dũ feſſis cuſpides in ſcutis reflecterentur, nec quiſquam ſine uulnere ceciderat, ſed omniũ membris humi diffluebat ſanguis, & ſudor quoq;, cum nullo pacto contentionem remiſerint, & terra cadaueribus obruebatur, non ſecus, ac cœlum nubibus, quũ Sol Capricornum intret, nempe ubi mare magnum nautis terrorem inijcit, quæ quidem cadauera equi ungulis ob-

terebant

ferebantur, ſimul cũ populo irruente, perinde ac folia innumera, ineunte hyeme, poſt floridum autumnum. Porro illuſtres deorum filij in ſtrage ac cruore colluctabantur, nec deſierunt iracundia in ſe mutuo ſæuire, nam cõtentio direxit triſtes pugnæ lances, quæ nõ amplius pares erant. Siquidẽ Achilles Memnoni ſub pectoris ſedẽ, enſem adegit, qui per trãſuerſum traijciebatur, & confeſtim animam profundens, in atrum cruorem collapſus eſt, & diuina arma ſonitũ dedêre, imo & terra ſtrepitu remugijt, & ſocij metu cõcutiebantur, cui quidem Mirmidones arma diripuerunt, circũ aut Troiani fuga diſſipabãtur, at ille fugientiũ tergis inhæſit, procellã uiribus repræſentans: cæterum Aurora obducta nubibus, gemitum ciebat, terra autem tenebris prætexebatur. Porro ueloces uenti matris monitu, ad unum omnes, rapido itinere ferebãtur in campũ Priami, & morienti circumfundebantur, ac feſtinãter abreptũ Auroræ filium, per magnum aëris ſpacium uehebant, angebantur enim animi, fratre collapſo, quin & Aether circũquaque ingemuit, cuius quæcunque cruentæ ſtillæ deciderunt ex membris, ſignũ eſſe poſſunt poſteris, unde dij aliunde in unum

Memnon ab Achille iterficitur.

Digitized by Google

coactis alijs, ſonorũ confecerunt fluuium, quem Paphlagonũ appellant mortales omnes, quicunq; habitant ſub pede mõtis Idæ, qui etiam colore ſanguinẽ referens, terram alluebat, quo triſti die Memnon uita deceſſit: tum acerbus ac intolerandus odor ferebatur ex aqua, dixeris ex mortifero corrupto uulnere eliſam ſaniẽ reſpirare odioſius, ſed id deorum conſilio factũ eſt. Volabant enim uenti, Auroræ filium ferentes, nõ procul à terra, denſa inuolutũ caligine, nec etiã Aethiopes procul à cæſo rege aberrabant, quoniam deus illos duxit repente, & celeritatem addidit cupidis: nempe futurũ erat, ut haud paulo poſt aëre ipſi ferrentur, qua de cauſa deplorantes regem, uentos ſequebantur, perinde ac cum uenatoris horrẽdis aut ſuis aut leonis mandibulis, in locis uirgultis obſitis, deiecti corpus ſublatũ ferunt amici, magno affecti dolore, à tergo autẽ canes latratu ſuum dominum deſiderantes, ſequuntur, ob triſtem illam capturam: ſic illi relicto ſæuo certamine, celeres ſequebantur uentos, crebrò ductis ab imo pectore ſuſpirijs, & diuina obtecti caligine, circum autem Troiani & Græci ſtupore defixi ſteterunt, cernentes illos omnes ita cum ſuo rege

ge

Digitized by Google

ge euaneſcere. Porro uenti magnos ędentes gemitus, repoſuerunt bellicoſi Mēnonis ca dauer ad fluuiū Aeſepū, ubi formoſis nym phis nemus eſt oīgenis arboribus admodū amœnum, quo in poſterū magnum aggeſſe runt tumulum Aeſepi filię, & multæ deæ cir cumfuſæ ploratum ciebant, pulchræ Auro ræ filiū lugentes: occidit autem ſolis lumen, tum cœlo prodijt Aurora, charū filium lu- gens. Stipabant uero illam duodecim præ- ſtanti forma puellæ, quibus perpetuo curæ ſunt termini ſemper uoluentis altæ uiæ, & nox & aurora, ac quæcunq; ex Iouis ſenten tia fiunt, circa cuius domum & non dirum penda ueſtibula uerſantur, huc atq; illuc an num fructibus grauem circumferentes, cir- cumuoluto, & rigidę hyemis, & floridi ue- ris, gratæq; æſtatis, & autumni uuarum fera cis, circulo: quæ autem cum deſcendiſſent al to cœlo, immenſo luctu ſeſe affligentes ob Mēnona, cū quibus etiam & Pleiades plora bant, ſonitu miſcebantur magno montes, & Aeſepi fluenta, nam indeſinens luct⁹ moue batur. Porro Aurora in medio circumfuſa, ſuo filio magnum ploratū ciebat, Itá ne cha re fili exitio proſtratus es? nam magnū tuæ matri luctum iniecisti, non enim amplius,

te ſublato, mortalibus lumen præbere ſuſtinebo, ſed inferorũ ſubibo odioſas domos, quo tua anima procul à ſuperis circũuolat, ut quippe chaos & inuſitata quædam caligo per omnia diſpergatur, ut etiã Iouis animũ dolor occupet, nec enim honore Thetidi cedo, imo ne Ioui quidẽ ipſi, cum omnia intuear, & omnibus rebus perfectionem addam, nunq̃ enim mei luminis ſatietas oboriri poſſet, ergo tenebras petam. Porro Thetida in cœlum adducat Iuppiter ex mari, ut dijs & hominibus lumen præbeat, nam mihi triſtis caligo, poſthabito cœlo, cordi eſt, ne tui interfectoris corpori lumen circumijciam. Hęc uero dicenti, lachrymę per diuinam faciem defluxêre, perẽnis fluuij in morem, & atra terra rigabatur circa cadauer, & diuina Nox indolebat chari filij funeri, & omnia aſtra cœlum obduxerunt caligine & nubibus, ut Auroræ rem gratam facerent. Cæterũ Troiani in urbe, ob Memnona, magno enecabant luctu animũ, non enim minori eius deſiderio tenebãtur, q̃ ipſi Aethiopes: nec Gręcis certe admodum lætum erat hoc prælium, ſed in campo ſedebant iuxta cadauera ſub dio, utrinq; & laudibus ferebant Achillẽ, & deplorabant Antilochum:

Aurora ob filium dolens, in cœlum recuſat redire.

habe-

habebant autem luctum gaudio mixtum. Porro totam noctem ploratu duxit Aurora, & tenebræ illi circumfundebãtur, nec ortus ullam animo rationem habuit: nam cœlum odio proſequebatur, & acres ſui equi gemebant, curſitantes per terram ſterilem, & uidentes ſuam reginam, tanto ſe luctu affligentem, tangebantur tamen magno reditus deſiderio. Nam Iuppiter ira incenſus indeſinenter tonuit, terra autem cõcutiebatur undique, terror itaq; inijciebatur diuinæ Auroræ, proinde hunc cum magno luctu raptum ſepulchro condiderunt nigri Aethiopes, atque illos formoſa Aurora ualde plorãtes, ad ſepulchrum ſui filij in aues mutauit, & dedit ut aëre ferri poſſent, quas mortales Memnonias uocant, qui ad tumbam ſui regis ruentes plorant, puluerem ſuperfundentes ſepulchro, & gratificantes Memnoni, ſe mutuo tumultu exagitãt, at hic apud inferos, uel alibi apud deos in campo Eliſio gaudijs potitur, & lętitia diffunditur immortalis Aurora id uidens: uerum alijs magna obijcitur difficultas, dum contendunt, unum prælio opprimere, aut morti occumbere, ob regem deſudantes, & hæc quidẽ Auroræ iuſſu pernices aues conficiunt. Porro tum quidẽ Au

Mẽnonis ſocij in aues mutan tur.

rora

rora in cœlum properauit, cumHoris uaria forma præditis, quæ illam inuitam adduxere ad Iouis domum, uerbis admodum dolentem leuantes, quibus grauis luctus ſolet cedere. At hæc non uenit in obliuionem ſui curſus, metuit autem uehementer magnas Iouis minas, unde omnia ducunt originem, quæcunque Oceanus, quæcunq; terra, quęcunque denique aſtra continent, quam Pleiades anteceſſerunt, at ipſa ęthereas reſerauit portas, & lumen ſuum diffudit mortalibus.

.ſ.

IN TERTIVM LIbrum argumentum.

ACHilles, nullũ graſſandi in Troianos modum faciens, Apollinis telo deijcitur, quare irata Iuno, Apollinem iurgio adoritur. Cęterũ Troiani etiam collapſum Achillem intuiti, metu adhuc fluctuant, nec cominus audent congredi. Tandem Paris ſuorum fugam ſiſtit, & ad prælium fortiter capeſcendum accendit. Proinde ſtrenue circa Achillis cadauer pugnantes, multi ſternuntur. Nam Aiax & reliqui Grę corum proceres, nihil ſibi curæ ac laboris remiſerunt, ne Achillis cadauer à Troianis abſtraheretur. Poſtremo Troianis in urbem compulſis, Græci Achillem in caſtris deflent, quo etiam cum Nereidibus ſe corripuit Thetis, & immenſo luctu affligtabatur, at Muſę ex Helicone aderant, ſolatio eam erigentes, Græci autem Achillis cadauer, poſt multas lachrymas rogo impoſuerunt, & caſtra ſua repetierunt.

QVINTI CALABRI DERELICTORUM ab Homero, liber tertius.

CVm igitur aurora illuceſceret, tum Antilochi cadauer ad naues extulerũt bellicoſi uiri Pilei, magno ſe ob regem luctu afflictantes, & illi apud Helleſpõticum littus iuſta ſoluerunt, magno confuſi dolore: circumquaq; autem Gręci gemitu animi cruciatum declarabant, nam omnium pectora acerbus obſedit luctus, qui Neſtori gratificari ſtuduerunt, at hic non prorſus animo frangebatur: eſt enim prudentis uiri, forti pectore ferre dolorem, nec animi cruciatu deiectum dolori ſuccumbere. Cæterum Achilles, amici cauſa exardeſcens iracundia, horrende ſe, ad cõferendum manus cum Troianis, accingebat, qui & ipſi, quamuis exhorrerent, haſta inſignem uirũ, prompti portis ſe extulerunt, quia fata illorũ pectoribus confidentiam iniecerunt. Nam certe futurum erat, ut multi bellicoſi Achillis manibus orco mactarentur, qui idem periturus erat ad Priami mœnia. At ubi primũ

utrinq;

Digitized by Google

utrinq; in campum deſcendiſſent multæ & Troianorum & Græcorum phalanges, inflammato Martis ſtudio accenſæ, Achilles magnam inter hoſtes ſtragem perpetrauit, ubiq; enim mortalium nutrix terra rigabatur ſanguine, & cadaueribus fremebāt Xanthi & Simoentis fluenta. At ille premēs hoſtium ueſtigia deijciebat, in quoſcunq; incideret, ad ipſa uſq; mœnia, quia magnus iniectus erat terror, & certe omnes internitione cęcidiſſet, portaſq; ſolo æquaſſet, & cardines cōuulſiſſet, ac obliquus illatus uectes perrupiſſet, aditumq; Græcis in urbem paraſſet, & opulētum oppidum igni uaſtaſſet, ni magnam, truci animo, iracundiam concepiſſet Apollo, cum uidit innumeros heroas lœtho ſterni, confeſtim tum ab olympo, feræ in morem deſcendit, pharetram gerens humeris, & ſagittas immedicabiles: ſtetit autē ex aduerſo Achilli, pharetra & arcus horrende ſonuerunt, & ex oculis illi magna uis ignis emicuit, terraq; pedibus mouebatur, & horridū ſuſtulit clamorem deus, ut Achillem diuinam dei uocem reueritum à pugna auerteret, & Troianos exitio eriperet. Te, ô Achilles, procul à Troianis ſubducito: nō enim par eſt, ut inter hoſtes cladem ædere

Apollo Achillis impetum repriſit.

pergas

pergas, ne te imortaliũ quiſquã opprimat, Sic dixit Apollo. At dei uox nullam incuſſit formidinem Achilli; nam illum triſtia circumuolabant fata, ergo deum non eſt reueritus, & magna uociferatione reclamauit, Apollo, quid me inuitũ cum dijs prælio dimicare cõpellas? cum de perfidis Troianis pœnas ſumam, iam nuper etiam nõ parum me læſiſti, cum à prælio auerteres, quando primùm Hectorem exitio ſubtraxiſti, quo Troiani magnam, in urbe, fiduciam ſitã habebant, ſed retrocede hâc, & in aliorum immortalium domum te aufer, ne in te quoq; licet immortalem, telum uibrem. Sic fatus ſeorſum liquit deum, & in Troianos ferebatur, ſed hi in fuga perſiſtebant ante urbem, quos ipſe perſequi non ceſſabat: uerũ Apollo indignatus, hæc animo ſecum uolutabat, Heus quanto furore hic tranſuorſum rapitur, at ne ipſe quidem Iupiter, repreſſerit ſic inſanientẽ, ac dijs reluctantẽ. Quæ ubi dixiſſet, caua nube ac aëre amictus, acerbũ emiſit telũ, & eius calcaneo ſubitò uulnus inflixit, cuius cruciatus pectus ſtatim ſubijt, & ſternebatur turris in morem, quam Thyphonis impetus ſubterranea uertigine dirumpit in ipſo ſolo terræ, qua altum fundamentum

erat

Digitized by Google

erat iactum, ſic humi fundebatur Achilles, & oculis circũluſtrans pernicioſam, & inuictam cateruam. Quis in me, inquit, exitiale hoc telum occulte torſit? audeat propalam mihi ſe obuium ferre, ut illi ater cruor ſimul cum omnibus inteſtinis effundatur noſtra haſta, & ſubeat triſtem Plutonis aulam: non enim me clam eſt, neminem terreſtrium heroum, cominus congreſſum, haſta me ſuperare poſſe, non ſi illi æs triplex pectus obarmauerit, & plane fuerit ferreus. At ſolent imbelles, occultis ſemper inſidijs, excipere illuſtres uiros, qua de cauſa ueniat mihi in occurſum, quamuis & deus eſſe gloriatur, Grȩcis infenſus, quoniã animus mihi præſagit, Apollinem eſſe, horrida obſceptum nebula, nam olim hoc mihi uaticinata mater eſt, fore, ut ærumnoſis illius telis, ad portas Scȩas occumbam, quod haud quaquam uanũ fuerit: ſic dixit, & exitiale telum, duris manibus extraxit uulneri immedicabili, at ſanguis erumpebat cum cruciatu, & fatum illi pectus domuit. Nam ſtomachatus telum abiecit, quod ſtatim aduolantes Auræ, corripuerũt & reddiderunt Apollini, in diuam Iouis domum properanti: non enim æquum erat, ut & immortale cum eſſet, atq; à deo emiſſum,

Achilles Apollinis telo ſternitur.

F periret,

periret, quod ubi ſuſcepiſſet, repente ſe ad olympum corripuit, ad aliorum deorũ cœtum, ubi magna frequentia cogebantur, prȩlium ſpectaturi, quorum hi quidem Troianos rerum geſtarũ gloria auctos uolebant, alij uero diuerſo in Grȩcos affectu ducti, ſpectabant perdẽtes, ſimul & pereuntes in prælio: quem ubi animaduertiſſet prudens Iouis coniunx, ſtatim acerbis uerbis laceſſit, Quare Apollo tam iniquum facinus commiſiſti hoc die, oblitus illius quod nos ipſi dij connubium egregio Peleo coniunximus, & tu ipſe in medio, cantando, oblectaſti conuiuas, quando Peleus uxorem duxit formoſam Thetida, quæ uaſtas maris undas deſeruit, cum, te cytharã pulſante, diuerſa hominum genera confluerent, & feræ quoque, & alites, & ſcopulis ſinuoſa ſaxa, fluminaq;, & opaca ſylua, ſed in horum obliuionem ueniſti, & acerbũ deſignaſti facinus, interficiendo diuũ uirũ, quẽ ipſe cum alijs immortalibus nectar delibans, precatus es, ex Thetide Peleo filiũ naſci, quod uotum uentis tradidiſti, gratũ faciens populo ualidi Laomedontis, apud quem upilionẽ egiſti: at hic, quamuis mortalis eſſet, te tamen immortalẽ multis ærumnis affecit, & tu contrà mente captus

Iuno Apollinẽ obiurgat ob cæſum Achillem.

ptus, Troianis gratificaris, delens ex animo quãtos labores exantlaſti, improbè, nec certe pernicioſo tuo animo diſpicere poſſes, quiſnã ſit uir malus, ac dignus qui in ęrũnas incidat, aut cui ĩmortales honores deferũt: erat profecto Achilles beneuolo in nos animo, & à nobis genus duxerat, nec certe Troianos eo magis leuatos moleſtia exiſtimo, quod Achilles ceciderit, quia ſtatim illi à Scyro filius ad Troianã expeditionẽ, Græcis ſuppetias ferens, aderit, uiribus ſuo patri haud inferior, & multis ex hoſtibus exitio erit: certe Troiani admodum tibi curę ſunt, & magna Achillis inuidia æſtuas, quoniam erat omniũ præſtantiſſimus. Stulte, quo pacto tui oculi ferre poſſent, Thetida ad Iouis domum uenientem, quæ te antehac omnibus honoribus cumulare, & ut charum filium complecti nõ ceſſauit. Sic dixit Iuno, cum magno animi cruciatu, probris inceſcens omnipotentis Iouis filium, at hic ne hiſcere quidem contra eſt auſus, reueritus eſt enim magni patris coniugem, nec coram illam intueri ſuſtinuit, ſed ſeorſum à dijs oculis humi fixis ſedebat. Mirũ enim quàm illi ſuccenſuerint, quicunq; pro Græcorũ ſalute ſteterint, contra qui Troianos illuſtres

reddi uolebant, illum collaudabant in ſinu gaudentes, ne id Iunonem ureret: omnes enim palam uerebantur, illam iracundia percitam, nec adhuc deliquiũ animi patiebatur Achilles: nam etiamnum efferbuit ater ſanguis, membris indefeſſis, cupientis prælio dimicare, nec quiſquam hoc rerum articulo deprehenſum illum cominus pugna laceſſere audebat, ſed procul abſtiterunt, perinde ac faciunt agreſtes, leone denſis uirgultis perplexo, quẽ diecit uenator, at ne tum quidem cum pectus telo perfoſſum ſentiat, obliuiſcitur fortitudinis, ſed circumagit truces oculos, horrendũ trucibus genis tollens rugitum: ſic ira atq; exitialis haſta exacuerunt Achilli animum, uerum dei telum eum domuit, attamen eo loci redactus exilijt, & impreſſionem fecit in hoſtes, uibrans ualidam haſtam, petijt autem diuũ Orythaona, præſtantem Hectoris ſocium, uerticẽ illi feriẽs, at galea non potuit reſiſtere longæ haſtæ, q̃uis id impenſius cupiuiſſet, ſed per ipſam & oſſa quoq; pertigit neruos cerebri, & feruidũ illi cor cõminuit. Deinde Ipponoum deiecit, per ſupercilium ad oculorum uſq; ſedem, haſtam illidens, pupilla autem humi defluxit, & anima inferos petijt. Deinde Al

conoi

conoi malam tranſuerberans, totã linguam præſecuit: at hic ſolo proſtratus eſt, crebros ducens anhelitus, cuſpis autem per aurẽ emicuit: & hos quidem ſtrauit diuinus uir, infeſto prælio ſecum congredi auſos, ſed & multos alios in fugam coniectos, internitione cæcidit, nam ferbuit adhuc illi calidus circũ præcordia ſanguis. Porro cum frigus membra occupare, ac animus deficere inciperet, ſtetit haſtæ innixus, at Troiani fuga auolabãt. Heu meticuloſi Troiani, inquit, & Dardani, ne mortui quidem meæ haſtæ uos fuga ſubtrahere poteritis, ſed morte pœnas luetis ueſtris furijs. Vt dixit, illi exhorruerunt, perinde ut in mõtibus hinnuli, uocem rugientis leonis, expaueſcunt formidoloſi, magno beſtiæ metu, in fugam conuerſi, ſic quoq; Troiani & extera auxilia, exhorruerunt poſtremas Achillis minas, exiſtimantes eum adhuc eſſe illæſum, hic tamẽ audentem ſuum animũ ac robuſta membra morte tardari ſentiens, circũ cadauera prolapſus eſt, arduo mõti ſimilis, terra autem magno ſtrepitu reſultauit, & mirum in modum reſonuerunt arma, iamiam labentis Achillis: attamen Troiani ſupra modum timuerunt, animo perpendentes ſuum hoſtem, non ſe-

cus atq; oues, horrore contremiſcunt, cernentes ſanguinariam aliquã feram, circa ſtabulum à iuuenibus proſtratã, nec propius ſe conferre audent, ſed exhorrent mortuam non ſecus ac uiuam: ſic Troiani formidabãt Achillem etiam mortuum. Sed tum populi animum uerbis confirmare conatus eſt Paris, nam magno perfundebatur gaudio, adducebatur enim in ſpẽ fore, ut iam proſtrato Achille, Troiani cruento hoc bello liberarentur, nam hic robur erat uniuerſis Grę cis. Si ò amici, inquit, prompto mihi animo adeſſe uelitis, hodie aut morti occũbemus. à Græcis deiecti, aut incolumes Achillem collapſum ad Ilium raptabimus Hectoreis equis, qui me, extincto fratre, in pręlium ferunt, ſui regis deſiderio cruciati, qui ſi interemptum Achillem traxerimus, magna certe gloria cumulabimus, tum equos, tum ipſum Hectorem, ſi quidem apud manes ullus eſt ſenſus, aut leges uigent. Nam hic non deſijt unquàm male cogitare Troianis, quin & Troianæ fœminæ, ſoluto cachinno animi gaudium teſtantes, circumſiſtent, nõ ſecus ac horridę pardales, aut leenę ob ereptos catulos ira exardeſcentes, circundant uirum uenandi peritum, ſic Troianæ

Paris occiſo Achille Troianos ad pugnã extimulat.

Digitized by Google

nę mulieres turmatim circumfundentur Achillis cadaueri, non dicenda iracundia percitæ, hę quidem ob parentes ab illo obtruncatos, hę autē ob uiros, alię iterũ ob liberos, aut familiares, quos magno honore habuerint, at ſupra cęteros exhilarabitur meus pater, aut alij ſenes quos nolentes, ſenecta ętas intra urbis ſepta detinet: porro nos hunc, ubi in urbem traxerimus, obijciemus epulum aërijs auibus. Vt dixit, ſtatim facto impetu, obſtipabant fortis Achillis cadauer, qui prius illum formidarunt, nempe Glaucus & Aeneas & magnanim⁹ Agenor, & alij quoq; rei bellicæ minime imperiti, cupientes auellere ad Troiã, ſed id haudquaquam neglectui habuit Aiax, dijs ſimilis, uerum impetu ſe eo contulit, & longa haſta omnes arcuit à cadauere: at hi non abſiſtebant minis territi, ſed collato pede pugnam capeſcebant, agmine ſubinde condenſato, ut apes, quæ circa ſua aluearia infinitæ uolant, uirum ulturæ: hic uero nihil moratus earum aſſultus, mellis uindemiam facere pergit, At illæ cruciantur fumi uel uiri impetu, attamen tanta licet difficultate rerum deprehenſę, in aduerſum rapiuntur: hic autem, ne tantillo quidem loco mouetur:

ſic Aiax hos irruentes pro nihilo duxit, ſed primum Agelaum ſub mammam illiſa haſta deiecit, deinde & Theſtorem diuinũ uirum, exin Arcythoũ & Ageſtratum, ac Aganippum, tum Zorum & Niſſum, ac illuſtrẽ Erymantem, qui, Glauco duce, è Lycia uenerat: habitabant autem Melanippum Mineruæ ſacrum, è regione Emaſicyti, nõ procul ab ædita Chelidone, quam metuunt nautæ, in mari obſtupefacti, cum circumflectere coguntur triſtes petras. Cæterũ eo extincto, præclarus Hippolochi filius diriguit animo, quoniam ſibi erat omnibus neceſſitudinibus circumuentus, & ſtatim in Aiacis ſcutum multiplici bouis corio obductum, haſtam uibrauit, ſed non impulit in cutem, pelles enim bubulę, & thorax ſub ſcuto eius membris aptatus, propulſarunt: uerũ Glaucus ne ſic quidẽ prælio abſtitit, cupidus interficiendi Aiacis, & iactabundis uerbis inſultãs, magnas inſipienti animo minas promebat, Aiax, quoniã te ſupra cæteros Græcos præſtantem eſſe aiunt, ob te enim non ſecus, ac ob bellicoſum Achillẽ, ſibi placent Græci. Proinde par eſt, ut cum tuo cognato hoc die fato concedas: ſic dixit, uani loquentia ſeſe efferens, nec compertum habebat, in

quanto

quanto ſe præſtantiorem uirum haſtam tor
queret, quem limis aſpiciens, alloquitur bel
licoſus Aiax, Ignaue haud noſti, quãto te bel
lo melior erat Hector, fugijt tamen noſtras
uires & haſtã, ac prudentiam ſimul cum for
titudine cõiunctã habuit: eſt tibi certe mens
erroris nebulis inuoluta, qui me prælio la-
ceſſere audeas, multo te præſtantiorem, non
enim mihi paternus hoſpes eſſe gloriaris,
nec me muneribus ſeductum à bello auer-
tes, ut Diomedẽ feciſti, ſed licet illius te ui-
ribus ſubtraxiſti, non continuo ego te ſaluũ
è bello reducem patiar. In alijs ne fiduciam
habes ſitam? qui imbellibus muſcis ſimiles
ruunt circa cadauer pręſtãtis Achillis, ſed &
hos quoq; ita ingruentes neci dabo. Et atro
fato, ſic dicens, in hoſtes rapiebatur, ut leo
per ſyluam, & longas cõualles, in uenaticos
canes. Multos autem domuit cupientes glo
riam auferre, Troianos, ſimul & Lycios: po
pulus autem horrore cõcutiebatur, ut in ma
ri piſces, aduentante horrẽda Balena aut ma
gno Delphino, maris alumno: ſic Troiani
exhorrebant impetum Telamonij Aiacis,
per aciem ruentis: attamen ne hoc quidẽ pa
cto pugnæ ſubtrahebãtur, ſed circa cadauer
Achillis aliunde alius in pugnam propera-

 bat,

bat,ita ut in puluere pugnantium numerus iniri haud poſſet,non ſecus ac apri circa leonem interficiuntur,perniciosum autem erat motũ certamen: hic quoq; Hippolochi bellicoſum filium interemit fortis Aiax,qui ſupinus circa Achillẽ ſternebatur, ut in montibus circa ualidam quercum ramus, ſic ille haſta domitus porrectim circa Achillem in præceps agebatur:at illũ fortis Aeneas magnum ſimul cum ſocijs laborẽ exhauriens, ad Troianos traxit, & ſocijs magno animi cruciatu affectis,dedit in urbẽ auferendum, & ipſe quoq; circa Achillem ferro dimicabat. Hunc igitur haſta læſit Aiax, ſuper pulpam lacerti dextræ manus,at hic ſtatim ſine dilatione ſe exitiali prælio eduxit, nã ad oſſa uſq; penetrauit telũ, atq; in illo curãdo laborabant prudentes medici, qui illi ſanguine purgarunt uulnus, & alia omnia exequi non ceſſabant,quæ uulneratorum perniciosos cruciatus ſoleant ſedare. Porro Aiax prælio graſſatur,fulminis in morem, aliunde alium lœtho ſternens, ſiquidem magno animi uulnere urgebatur, dolens ob interfectum conſobrinum:non procul autem Vlyſſes cum hoſtibus manus cõſeruit, hor

rebat

rebat autem illum populus, nam interfecit acrem Pyſandrum, & bellicoſum filium Ne ualum, qui incolebat præclaram urbẽ Aby dum: poſt hunc interemit diuũ Atynnium, quem aliquando formoſa nympha Pegaſis peperit, forti Emalioni, iuxta Grynici amnis fluxũ: ab illo autẽ Protei filium Oreſbiũ nomine, qui habitabat in iugis excelſæ Idę, nec illũ mater illuſtris Panacia, ſuſcepit redeuntẽ, ſed Vlyſſis manibus cecidit, qui & alijs multis animam extinxit, cruenta haſta mactans, in quẽcunq; circa cadauer incideret, ſed illi Alcon præclari Areithei filius, haſtam in dextrum genu torſit, tum autẽ circa fulgidum tibiale ater ebullijt ſanguis: at hic nõ magna uulneris cura tangebatur, ſed derepente exitio dedit uulnerantem, quia illi pugnæ cupidine accenſi per ſcutum impulit haſtam, ac magnis uiribus, ac ualida manu arietauit ſupinũ in terrã: arma autem ſonuerunt, illo in pulueribus proſtrato, & thorax circa mẽbra purpureo rigabatur ſanguine: tum ille pernicioſam haſtã & corpore ſimul & ſcuto eduxit, & animus cuſpidẽ ſequebatur, mẽbra deſtituẽs: tum in eius ſocios irruit, nec pręlio deſtitit, q̃uis uulneratus, ſiquidẽ & alij Græci ad unũ omnes nul

lo ordine circum magnum Achillem acriter pugnam capeſſebāt, & impetuoſe ingentes copias politis haſtis deiecerūt, nō ſecus, ac uenti impetuoſius in ſyluam irruentes, denſis humū folijs perfundūt, ineunte quippe anno, quando autumnus deſinit, ſic illos haſtis deieceRūt bellicoſi Gręci. Nemo quiſquam erat quin mortui Achillis cura tangeretur, & maxime Aiax bellicoſus, qua certe cauſa, magnam inter Troianos ſtragem ędebat, malo fato ſimilis, in quem certe arcum tetendit Paris, quod ſtatim olfaciens Aiax, illi magnum ſaxum in caput impegit, at exitiale illud ſaxū perfregit criſtatam galeam. Oboriebantur autem illi tenebræ, & in pulueres collapſus eſt, nec tela eius uotis reſpōdere potuere, nam alia alio diffundebantur in puluere, inanis autem porrigebatur pharethra, & arcus manibus diffluxit. Tum amici illum ſublatū, & Hectoreis equis impoſitum, in urbem auehebant, parū adhuc ſpirantem, & magnos cientem gemitus, nec eius arma procul à ſuo rege reliquerunt, ſed & hæc ipſa regi gratificantes, campo extulerunt, cui indignanti magna uociferatione acclamauit Aiax, Heu canis, quonā pacto hodie mortē grauiter imminentē effugiſti? ſed

ſtatim

ſtatim uel meis, uel alicuius cuiuſpiam Græcorum manibus orco mitteris: nunc autem mihi alia curæ ſunt, nempe quo pacto Achillis cadauer ab interitu uindicem. Sic fatus, in hoſtes abripiebatur, qui adhuc ob Achillis cadauer pręliū inibant, quiq; ut uidiſſent multos ualidis manibus animā expirantes, formidarunt, & imbellibus uulturibus ſimiles, gradū ſiſtere nō audebant, quos in fugā egit aquila omnium auium præſtantiſſima, cum in montibus greges à lupis deiectos dilacerant, ſic iſtos aliunde alium, & ſaxis & enſe, & ſua ui diſſipauit temerarius Aiax, qui magna concuſſi formidine, bello ſe turmatim ſubduxerunt turdis, haud diſſimiles, in quas accipiter irruit, ut deuaſtet, hi tum turmatim alij alio, pernici curſu feruntur, fuga magnam perniciē propulſantes: ſic illi è prelio, miſerabili fuga, ſe ad urbē corripiebant, magni Aiacis minas exhorrentes, qui ſequebatur manib⁹ uirili ſanguine pollutis, & certe omnes cateruatim oppreſſiſſet, niſi patentibus portis, uectes obmoliti fuiſſent, parū adhuc reſpirantes, offuſa quippe pectori caligine, quos cum in urbe compuliſſet Aiax, non ſecus ac paſtor oues, in campum ſe intulit, terram haud tangens pedibus, incedens.
nimirum

nimirum per arma, per ſanguinem, ac cada uera, nam maxima cæſorum iuuenum uis humi fuſa iacebat, ab ipſa urbe uſque ad Helleſpontum, quoſcunque malum fatum in ruinam ſecum traxerat, ut quando ſeges flaueſcens, meſſoris manu denſe concidit, & multi manipuli ariſtis onuſti illic iacent, porro dominus illius præclari ſoli, magnũ animo gaudium cõcipit, id uidens; ſic utrinque malo fato domiti iacebant ſupini, lugubris pugnæ obliti, nec præſtantes Græcorũ filij Troianis, puluerulento ſanguine, defœdatis, ſpolia diripiebãt, priuſquàm Achillem rogo impoſuiſſent, qui magnã illis operam nauaſſet in bellis, ſuis uiribus, mirum in modum furens, quare purpurati omnes illum è prælio ablatum, ingenti agmine obſtipabant, & rite portantes repoſuerunt in caſtris ante naues, quo coëuntes ad unũ omnes, plorabãt magno animi uulnere affecti, nam erat robur Achaici exercitus: at tũ certe in caſtris iacebat haſtæ uſum neſciens, ad littus grauiſoni Helleſponti, qualis perfidus ille Tityus cecidit, quando Latonæ, cum ſe Delphos reciperet, uitium offerre pararet, & ira exardeſcens Apollo, illum leuibus telis ſubito ſtrauit, quamuis indomito quodã

robore

robore ſuffultiretur, & concreto pulueribus cruore, per terram ſuam matrem uolutaretur: quæ indignata dijs, collapſum ſuum filium defleuit, riſit autem in animo Latona. Talis certe Achilles, hoſtili terra proſtratus erat, gaudio quidem Troianos, immenſo autem luctu Græcos afficiens: nam populi ploratu reſonabant ponti gurgites, animo ſtatim frangebantur omnes, ueriti ut in pugna à Troianis internitione cæderentur. Proinde reuocantes ſibi in memoriã apud naues charos parentes, quos in ædibus reliquerunt, deinde & uxores, quas paulo ante duxerant, quę cũ ſuauibus liberis uacuo thoro manſerunt, luctu ſe affligantes, maritorũ ſuorũ expectatione ſuſpenſæ, maiorẽ ſibi occaſionẽ dolendi arripuerũt, nã luctus amor prorſus animo illapſus eſt: plorarũt igiť inſatiabiliter proni in harenis maris fuſi, apud magnũ Achillẽ, capillos ex capite radicitus euellẽtes, & diffuſi harenis capita affatim defœdarũt: porro quãtus plorat⁹ oboriri ſolet captis mœnibus, quãdo hoſtes cupidi, ignẽ urbis tectis ſubijciunt, & paſſim populũ interficiunt, & res rapiunt & ferũt, talis apud naues Græcorũ clamor tollebatur, quia magn⁹ Achilles Græcorũ ſeruator apud naues

diuinis

Digitized by Google

diuinis telis proſtratus erat, ut Mars quando illũ Minerua potens dea, in Troico campo, immani ſaxo deiecit. Cæterum Myrmidones indeſinenter deflebant Achillem, deſidentes apud cadauer regis prçſtantis, ac clementis: nam pari affectu cõplectebatur omnes amicos, nec unquam perfido aut exitiali in ſuos erat animo, ſed fortitudine quæ pari modeſtia condiretur, expolitus erat. Porro Aiax ſupra cæteros plorans, inuocabat patruelem ſuum dei telo deiectũ: nemo enim illi uulnus infligere potuiſſet mortaliũ, quicunq; terram incolunt. Tum igitur præclarus Aiax, magno cõfuſus dolore, plorabat, & uel in cæſi Achillis caſtra penetrãs, uel in maris harenas ſe porrectim abijciens, tales fundebat pectore queſtus, O Achilles, magnum fortium Græcorum robur, procul ab ampla Pthia, in Iliacis campis occubuiſti, occulto teli ictu proſtratus, quod in prælio uiri imbelles ſolent emittere, nec callebat, qui te extinxit, magnum ſcutum concutere, nec ſecurim circa tempora docte in conflictu collocare, nec manu haſtam uibrare, nec arma hoſtium pectoribus dirumpere, ſed ſagittis procul à periculo impetuoſe præliari. Nam ſi tibi ſe obuium tuliſſet, qui in te iaculabatur

labatur

labatur telum, non ſine uulnere tuæ haſtæ impetum declinaſſet, ſed Ioui ſtat ſententia, ſubito exitio omnia euertere, & noſtros conatus in irritum effundere, ſiquidē iam Troianis cōtra Græcos uictoriam annuet, cum tantum Græcis ſuſtentaculum ſubtraxerit. Proh dolor, quàm exulcerabitur Peleo dolor, in magnum luctum triſti ſenecta deiecto: cum hic illi nuncius ueniet, dilacerabit ſibi plane animum, certe longe ſatius eſſet, ſtatim in ærumnarum obliuionem, hoc eſt, ſtuporem uenire: nam ſi malum hoc de filio fatum non corrumpat illum, certe miſer grauiſſimo luctu ſuam ſenectutem affliget, ſemper apud focū uitam doloribus exhauriens, qui tamen immortalibus ſupra modū erat charus, ſed dij non omnia miſeris mortalibus ad optatum finē perducunt: ſic quidem ille ſtomachabundus defleuit Achillē. At contra Phœnix ſenex ille, mirum quanto ſe luctu ac ploratu afflictarit, circumfuſus magno fortis Achillis corpori, & ingenti dolore pectus illud ſapientia plenum enecans, talia cum ploratu reddidit; Itá ne mi chare fili occidiſti, & me infinito quodā dolore cumulaſti? utinam prius tumulo conditus fuiſſem, q̄ triſtem tuam mortem uidiſ-

ſem, nunquàm enim ullum damnum grauiori uulnere affecit mihi animum, nõ cum patriam, & illuſtres parentes, ad Peleũ per Græciam fugiens, deſerebam, qui me ſuſcepit, magniſq; donauit muneribus, & Dolopibus præfecit ducẽ, atq; te ulnis in ædibus circumferens, meo impoſuit gremio, & rite iniunxit, ut te infantem curæ haberem, non ſecus, ac ſi ex me natus eſſes, cui certe obſecundabam: tu autem in animo gauiſus, ſæpe inarticulata uoce balbutiens, manibus mihi caput demulcebas, & puerilibus nugis pectora ac ueſtes irrigaſti: ego autem multo diffluens riſu, te manibus tenebam, nam me ſpes habebat fore, ut alerem, qui aliquando futurus eſſet uitæ meæ cuſtos, & senectutis ſuſtentaculum, at momentanea & fluxa fuerunt omnia, quæ hanc mihi ſpẽ præberent, & nunc euanidus abijſti ſub umbras, & miſere mihi cor enecatur doloribus, quia animus me miſeris modis dilacerat, qui me utinam plorando conficeret, antequàm is rumor ad Peleum perferatur, quem ego nullum exiſtimo ploratui modum facturũ, ubi tuum exitium fando didicerit: nam dolor multo miſerrimus incidit nobis, nempe tuo patri & mihi, ob tuum interitum, quo fortaſſis

taſſis cruciati, prȩter fatorũ diſpoſitionem, terram derepẽte ſubibimus, quod certe longe ſatius eſſet, q̃ ſeiunctos à te noſtro ſeruatore ætatẽ agere. Sic fatus eſt ſenex, immenſum in animo dolorem accendens, iuxta autem Atrides plorabat, diffluentibus lachrymis, magno in animo cruciatu exæſtuans, Interijſti Achilles, longe omnium Græcorum præſtantiſſime, Interijſti, inquã, ac magnum Græcorum exercitum munimento ſpoliaſti: nam te extincto, hoſtium aſſultui exponemur facilius, & magnũ attuliſti gaudiũ Troianis, qui antea te fugiebant, ut leonem oues, nunc autem ad naues cupidi pugnabunt. Iuppiter pater, tu quoq; profecto mortales uanis dictis demulces, qui mihi annuebas fore, ut Priami urbem ſolo æquarẽ, at nunc non ſtas promiſſis, ſed magnum mihi mœrorẽ iniјcis: nõ enim puto me, extincto Achille, ullã hui⁹ cõficiendi belli machinã excogitare poſſe: ſic dixit, magno in animo, dolore excarnificatus. Populus autẽ circumcirca ex animo defleuit fortem Achillem, cuius certe ploratu reſonuerunt naues, nam inuſitatus quidẽ clamor cœlo ferebatur, ut quando magni fluctus uentorum impetu cõmoti, in littus euoluuntur cum hor-

rido ſonitu, nam undis ubiq; relisa littora, cum ſcopulis immenſum ędunt ſtrepitum, tam grauis certe Gręcorum gemitus moue batur, circa Achillis cadauer, ut qui indeſinenter deplorarent intrepidum Achillē, & certe plorantes nox oppreſſiſſet, niſi Agamennona compellaſſet Neſtor, qui immenſum animo dolorem premebat, nondū adductus in filij ſui Antilochi obliuionem. Potentiſſime, inquiens, Argiuorū rex Agamennon, nunc quidem miſſum faciamus triſtem hunc luctum: nemo enim ſatis mouerit Græcos, ut luctus ſatietatem capiant, multos etiam dies plorando cōterentes, ſed magnū Achillis corpus lotum imponamus lecto, non enim par eſt, ut diutino mœrore defœdemus mortuos. Vbi hęc mādata dediſſet Neſtor, ſtatim Agamennon aggreſſus, ſuis negotiū dedit, ut aquam igni impoſitam calefacerent, & lauarent cadauer, & nitidas induerēt ueſtes, quas ex marina purpura, charo filio mater dederat, ad Troicam expeditionem proficiſcenti, eaq; ſtatim induerunt regem, & quiſq; pro ſe ſedulo conati, decore repoſuerunt in caſtris collapſum Achillem, quem intuita Minerua, miſericordia commota eſt, & diſtillauit ambroſiam illi

li

li per caput, quam aiunt defunctorum corpora diutius à putrefactione aſſeruare: reddidit autē illū roſſidū, & ſpirantibus ſimilē, deinde horridā perſonam mortuo addidit, qualis truci capiti impoſita erat, irato quidē ob amicum Patroclum interfectū, quin totum corpus auguſtius & uiſu præſtantius reddidit. Porro Græcos cepit admiratio, turmatim ſpectatū uenientes Achillem, uiuo haud diſſimilē, qui in lecto exporrectus, plane dormire eſt uiſus: circunfundebantur autem illi miſeræ captiuæ, quas ipſe in prędam abduxerat, cum Lemnū diuinam cepiſſet, & alta Cylicū mœnia Thebas Aetionis urbem: igitur circumſiſtentes ex animo plorabant Achillem, dilaniantes pulchrum corpus, & pectora utriſq; plangentes manibus, quibus ipſe magnum ſolitus erat honorem deferre, quàmuis ex hoſtibus eſſent natæ. Et ſupra cæteras animi mœſtitia cōficiebatur Briſeis, bellicoſi Achillis uxor, & circa cadauer uolutabatur, & utriſq; manibus nitidū dilanians corpus, uociferabatur, porro ex tenello pectore cruentæ tumuerūt uibices, illa uerberante amabilis tamen ſplendor eluxit, quàmuis miſera dolore cruciaretur: nam magna formæ gratia circumfunde

 batur,

Digitized by Google

batur, & miſere plorans, in hæc uerba prorupit, Me miſeram, quæ in omnium grauiſſimum luctum coniecta ſum: non enim tanta mihi incidit calamitas, quando fratres cũ patria exitio darentur, quanta te interfecto: nam tu mihi ſacer dies, tu mihi lumen ſolis, & dulcis uita fuiſti, & totius boni ſpes, & efficaciſſima mœroris depulſio, omni ſplendore, imo ipſis parẽtibus optabilior, omnia tu mihi ſolus fuiſti, quàmuis uictoris heri tetigi captiua cubile: nam me ſeruili conditione aſſertam uxorẽ effeciſti, nunc me Græcorum alius abducet, uel in fertilem Lacedemoniam, uel ſiticuloſum Argos, & certe ancillæ munus obiens, magnis cumulabor doloribus, abs te auulſa infœlix: utinam tumulo cõdita fuiſſem, antequàm tuam mortem uidere cogerer. Sic illa proſtratum Achillẽ defleuit, cum miſeris famulabus, & dolentibus Græcis, nempe & uirum & regem deplorans, cuius triſtis nunquàm abſtergebatur lachryma, ſed ad ſolum uſq; diſtillabat, non ſecus, ac cærulea aqua, fonti petræ impoſito ebulliens, unde magna uis niuis & glaciei accumulata, diffunditur per rigidum ſolum, ubi quippe glacies circumcirca molli Euri flatu & ſolis radiis diſſoluta ſit. Tum

quoq;

Digitized by Google

quoq; Nereides, quęcunq; Oceani gurgitis ima tenent, audiuerunt Nerea commotum, & omnium pectora magnus penetrauit luctus, & miſero ploratu omnia miſcebant, reſonuit autem Helleſpontus, & pullis amictæ ueſtibus, præpropere pleno petebant agmine, per canas undas, ſtationem claſſis Græcanicæ, quibus uenientibus, mare ſulcum ducebat, & ferebantur cum clangore, uelocibus gruibus haud diſſimiles, magnã mouentes tempeſtatem, Balenę autem, illis plorantibus, triſtia ducebant ſuſpiria: celeriter igitur deſtinatum iter confecerunt, fratrem ſuũ fortẽ uirũ lugentes, quin & Muſę, ſubito relicto Helycone adfuerunt, indelebili dolore excarnificatæ in animo, id honoris deferentes formoſæ Nereinæ. Porro Iuppiter Argiuis magnam & intrepidam confidentiam iniecit animo, ne metu concuterentur, egregium dearũ cœtum aperte per exercitum intuentes. Verum ad Achillis cadauer gemitibus & ſuſpirijs ſe enecabant, quàmuis immortales eſſent ad unum omnes: totum Helleſponti littus ploratu miſcebatur: terra autem circa cadauer Achillis aurchrymis rigabatur, & magno luctu reſonuit, omniumq́; arma lachrymis polluebantur,

tur, & caſtra quoque ac naues, nam magnus erat commotus luctus. Mater autem circũfuſa oſculum fixit ori filij ſui, & lachrymis diffluens, in hæc prorupit uerba, Oblectet ſe ſane per cœlum Aurora, gaudeat ex animo pulſa iracundia, aſteropæo dignum amplum Priami genus: at ego cœlum petam, & magno Ioui ad genua uoluar gemebunda, quia me, præter animi ſententiam, uiro ſubdidit, uiro, inquam, quem triſtis occupauit ſenectus, & mors illi in foribus: ſed non tanta me huius cura tangit, quãta Achillis, quẽ Iuppiter mihi pollicitus eſt, ſe in Aeacidarum domum potentem poſiturũ, quoniam mihi hic lectus non fuerit cordi, nunc quidem in uentum impetuoſum, nunc uero in aquam, interdum in auẽ, aliàs in ignem mutabar, nec mihi mortalis uir concubitu miſceri potuit, cum tranſfunderer in omnia quæcunq; cœlum ſuo complexu tegit, tantiſper dum mihi Iuppiter ſuam aſtringeret fidem, fore, ut in lucem æderem filium, inuſitata quadam fortitudine pręditum: nec fruſtratus eſt meam expectationem, nam hic corporis uiribus anteiuit omnes, qui luce fruerentur, ſed illum breuis æui effecerat, & me in immenſum luctum coniecit: qua de
cauſa

cauſa cœlum conſcendam, quo ubi conceſſero, deflebo charum filiũ, quantosq; antea pro ipſo Ioue eiusq; filijs, maximo depræhenſis infortunio, labores exantlaui propo nam, ut ei animũ perculſum reddam: ſic dixit marina Thetis, graui ſe luctu affligtans. Tum illi reſpondit Calliope, animum uerbis delenire conata, Cohibe fletum, ô dea Thetis, ne tui filij cauſa, ſtomachũ moueas deorum ac hominum moderatori: nam & Iouis quoque altitonantis regis filij interierunt, malo fato domiti: mortem obijt etiam meus filius Orpheus, quàmuis ſum immor talis, cuius carminibus attrahebatur uniuer ſa ſylua, & aſperę rupes, & amniũ fluenta, & flatus uentorum, magna ui ſpirantium, ac aues pernici uolatu aëra ſecantes, ſed ani mo concoxi ingentẽ luctum, quoniã abſurdum eſſet, deã acerbo luctu & mœrore animũ ex carnificare. Proinde & tibi animi quoq; tumor ſubſidat, ob præſtantẽ filiũ, mœrenti: nam meo & aliarum Muſarum conſilio fu turum eſt, ut illius gloriam & fortitudinem poëtæ carminibus celebrent: ne tu igitur atro luctui animum conficiendum præbeas, temet ploratu affligtans, ad mortalis fœminæ exemplũ: an te lateat omnes qui in hanc

 lucem

lucem proceſſere, ac terræ munere ueſcuntur, mortis neceſſitati ſubiacere? quę deos nihil moratur, tanto ſola robore eſt obarmata, quæ etiam opulenti Priami urbem excidio dabit, quando magnam & Græcorum & Troianorum ſtragem perpetrauerit, ubi ſibi uiſum fuerit: nemo enim deorum illius impetum retundere poſſet: ſic dicẽdi finem fecit Calliope, prudens animo conſiliũ promens. Tum ſol ſub Oceani fluenta properabat, tenebricoſa autem nox aëra obducebat, quæ &, mœrentibus mortalibus, commoditatem præbere ſoleat. Cæterum illic in harenis Græcorum filij ſomnum ducebãt, turmatim circa cadauer, magno multati damno, ſed nõ potuit quietem capere Thetis, uerum prope filium ſtetit cum Nereidibus immortalibus, Muſæ autem alternatim illam ſe animi diſcruciantẽ, aliunde alio ſolatio leuare nitebantur, ut in luctus obliuionẽ ueniret, ſed ubi riſu diffluẽs Aurora, per cœlum meare inciperet, fulgidiſſimũ adferens lumen, & Troianis & Priamo. Græci tamẽ magno deiecti dolore, multos dies Achillẽ deflere nõ ceſſarunt, gemitu reſonabãt lõga ponti littora, & magnus Nereus in fletum prorumpebat, gratificatus filiæ Nereidi, ſimul

mul & alij maris dij, potentē Achillem deflebāt. Tum Græci magni Achillis corpus rogo impoſuerunt, ingenti lignorum ſtrue congeſta, quę ferendo à monte Ida, omnes ex æquo laborabant, quia magnos ad id ſtimulos ijs ſubdiderunt Argiui, ut ingentem uim lignorum congererent, ut quàm celerrime igni abſumeretur Achillis cadauer: multa præterea arma igni accumulabāt interfectorū iuuenū, adhæc multos Troianorum filios, forma inſignes obtruncantes ſuperiecerunt, deinde & porcos abdomine graues, mox famulæ plorantes, multas ueſtes ciſtis efferentes, igni immiſerunt, deinde aurum & electrum accumularunt. Myrmidones autem abraſis capillis ſuis, regem ſuum mortuū obtegebant, quin & ipſa Briſeis magno animi uulnere affecta, abradens ceſariem, ultimum dedit donum regi, pręterea multas amphoras adipe plenas, circūfundebant, & alias igni appoſuerunt melle plenas, aut uino, quod odorem non diſſimilem nectari miſcebat, imo & multa odorifera coniecerunt in pyram quæcunq; admirationi mortalibus terra fert egregia, aut quæ etiam diuinum mare, ſed ubi circa pyram & equi & uiri cum armis ſatis inſtructi fuiſſent

ſent, multis pyram rigabãt lachrymis, quin & ipſe Iuppiter irrorationes quaſdam ambroſiæ, pyræ infudit, & in honorem diuæ Nereidos, Mercuriũad Aeolum ablegauit accerſitum uentos impetuoſos, quòd certe cremandum erat Achillis cadauer, cui accedenti ſtatim morẽ geſſit Aeolus, & aduocatos confeſtim horridum Boream & impetuoſum Zephyrũ ad Troiam miſit, repentina procella furibundos: at hi immenſo impetu per mare ferebantur, quo terra & mare miſcebantur, conuoluebantur autem nubes per aëra raptatæ, tum hi Iouis conſilio mortui Achillis rogo, facto agmine, incubuerunt: ſuboriebatur autem cum uapore & fumo ingens ploratus Myrmidonũ. Porro uenti quamuis turbine agitati, diẽ tamen ac noctem, magno ſtudio ſpirantes, aduſſerunt: ferebatur autem in ſublime fumus, & ingemuit magna ſylua igni domita, ac nigra fauilla reddebatur. Cæterum uenti, confecto magnæ molis negocio, in ſuum quiſq; antrũ, cum nubibus abripiebantur. Verum cũ ignis cõſumpſiſſet & equos, & iuuenes, & quæcunq; alia Græci prę cioſa, lachrymis diſtillantes, circa magnum Achillis cadauer accumulaſſent: & poſtremo ipſum quoq; re

Iuppiter mittit Mercurium ad Eolum, ut accerſeret uentos.

gem

gem Achillē. Tum Myrmidones uino extinxerūt pyram: oſſa autē apparebant admodum euidenter, quia alijs non erant ſimilia oſſibus, ſed qualia magni alicuius gygantis, nec alia ijs miſta fuerunt, quoniam boues & equi & Troianorū filij ſimul cum alijs mortuis ſemoti, ab Achille repoſiti erant, at hic ſolus in medio Vulcani impetu ſubactus iacebat, cuius quidē oſſa omnia cū magno gemitu, amici in capacē & ponderoſam argenteā urnam, ac fulgido auro exornatā recōdebant, & hęc quidem ambroſia, & unguento rigabant Nereides, magno Achillem honore cumulantes, & boum pinguedine, addito ſuaui melle, diligenter condiebant: mater autem illis urnam præbuit, quam olim donauit Dionyſius præclarum Vulcani munus, cui magnanimi Achillis oſſa impoſuerunt Græci, Achillem plorantes, & inuſitatæ cuiuſdam magnitudinis tumulū extruxerunt, in ęditiſſima littoris parte, prope Helleſponti gurgites, nec quoque immortales Achillis equi lachrymis carebant apud naues, ſed & ipſi ſuum regem deflebant, nec ſe equorum aut uirorum conſortio amplius iungere uolebant, perniciosum luctu pectus exedētes, ſed ſe ultra Oceani fluenta, & Tethyos an-

tra

tra(ubi illos olim diua Podarge, ſonoro Zephyro cõmiſta, genuit) ambo perniciosiſſimo curſu ſe corripere ſtatuerũt, miſerorum mortaliũ cœtui ſubtrahentes, & ſtatim explesſent animi cõſilium, niſi dij eos retraxiſſent, donec è Scyro adeſſet acer Achillis filius, quem ipſi in exercitum adductum reciperent, quoniã, illis naſcentibus, Chao prognatæ Parcę id agglomerarũt, quamuis immortales eſſent, ut primũ Neptuno ſubmitterentur, deinde forti Peleo, poſt indefeſſo Achilli, ad hæc quartum, Neoptolemo magnanimo, quem Iouis iuſſu poſtmodum in campũ Eliſiũ adducturi erant, in beatorum ſedem, quare magna deiecti triſticia, regis ſui expectatione ſuſpenſi erant, ob hunc quidem mœrentes, illũ uerò uidere cupientes. Et tum Neptunus, relictis grauiſoni maris undis, ad littus ſe recepit, non uiſus quidẽ mortalibus, ſed deabus Nereidibus aſtitit, & Thetida, adhuc ob Achillem mœrentem alloquitur, Infinito, inquiens, huic ploratui modum facito: non adeſt enim tuus filius mortuorũ conſortio, ſed inter deos relatus eſt, non ſecus ac Bacchus, aut Hercules, non enim illum fatum perpetuis præpediet tenebris, nec infernus quoq;, ſed ſtatim in lu

cem

cem emerget, & illi dono dabo odoriferam illam inſulam ad Euxinū pontum, ubi perpetuo deus erit tuus filius, & gentes finitimæ gratis illum ſacrificijs condecorantes, non minus quàm mihi honores deferent. Proinde te repente hoc libera luctu, ne animum mœrore exhaurias. Quæ ubi dixiſſet, uento ſimilis in mare ſe abripuit, ſolatio leuans Thetida, nam illi animus nonnihil reſpirabat, ſiquidem deus hæc illi perfecit.

At Argiui cum luctu abibant ad ſuas quiſq; naues, quas è Græcia abduxiſſent, & Pierides Helycona petebāt, Nereides autem maris undas ſubierunt ſuum Achillem deflentes.

Digitized by Google

IN QVARTVM LIbrum argumentum.

MVlti Troianorum ob cæſum Achillem, ſublatis animis, perſuadebant ſibi fore, ut Græci ſoluta obſidione patriã repeterent. Alij contrà nihil tale ſibi polliceri audent, dum Atridæ, Aiax, & Diomedes in uiuis eſſent, Iuno interim cum Ioue expoſtulat, quare Troianorum partes fouere non ceſſet. Græci uero in caſtris corpora curantes, opperiuntur Thetida, quæ ueniens propoſitis præmijs inuitat Græcos, ut certaminibus filij ſui funus celebrent. Neſtor primum funebri oratione, res ab Achille geſtas proſequitur: deinde Aiax & Teucer curſu certant, uincitur Teucer. Tum Diomedes & Aiax committuntur lucta, quæ diutius trahitur: tandem Neſtor in medium ſe ingerens, certamen diremit. Deinde Epeus & Athamas cæſtibus certamen ineunt, qui diu paribus uiribus conflictantes, tandem etiam à Græcis dirimuntur. Ab his Teucer & Aiax Oilei, in iaculandi certamẽ deſcendunt, cuius, penes Teucrum tandem erat uictoria: deinde ſaltu certatum eſt, poſtea equeſtri ludo, ubi Agamennon uictor declaratus: Deinde à Thetide præmia ſingulis ordine diſtributa.

Quinti

Digitized by Google

QVINTI CALABRI DERELICTORUM AB HOMERO, LIBER QUARTUS.

NEc quidem bellicoſi Hippolochi præclarum filium, miſeri Troiani, infletũ liquerunt, ſed & ipſi ante urbem pręſtantem uirum rogo impoſuerunt, hinc autem ipſe Apollo, igni ardenti impetuoſe ereptum, præbuit uentis in Lyciam auferendum, qui illum repente in uallem abſtulerunt, ad gratum locum, quo antrum, cui ualidum impoſuerunt ſaxũ, nymphæ autem circumduxerunt perennis fluuij ſacrã aquam, quã etiam num mortales Glaucũ latifluum appellant, dij autem Lyciorum regem tali præmio auctũ uoluerunt. At Gręci magnanimũ Achillem non ceſſarunt apud naues deflere, acerbus enim dolor & luctus enecabat omnes, ſiquidem illum, ut proprium filium requirebant, nec quiſquam in caſtris erat, cuius non per genas uoluerẽtur lachrymę. At immenſum quanto afficerentur gaudio Troiani, cernentes, hos quidem ita animo angi, illum autẽ igni abſumi, & aliquis inanes efflans glo-

Hippolochus uẽtis in Lyciam aufertur.

Digitized by Google

rias, in hæc prorupit uerba, Nunc omnibus præter ſpem, Iupiter, nobis cœlitus præbuit gaudiũ, cupientibus uidere Achillem apud Troiam proſtratum, quo cæſo perſuaſum habeo fore, ut ex pernicioſa cæde, ac cruenta pugna reſpirent Troiani. Nam illi nunquàm exitialis haſta, furore animum accēdere ceſſauit, triſti ſanguine imbuta, nec quiſquam noſtrũ illi in occurſum prodiens, craſtinum ſibi polliceri auſus eſt, nuncq́ ſane in animũ induco fore, ut fortes Græcorum filij, in fugam conuerſi, nauibus patriam petant. Vtinã uis Hectoris adhuc eſſet ſuperſtes, ut Achiuos ad unum omnes exitio daret in ſuis caſtris: ſic certe dixit Troianorũ aliquis, magno delibutus gaudio: alius contrà ſapientia præditus, Aſſeris tu quidẽ, inquit, pernicioſum Græcorum exercitũ nauibus, per cæruleũ mare, fuga patriam petiturũ, ſed nullus eos retrahit metus, cũ quippe tãto pugnę deſiderio flagrẽt, ſunt hercle alij fortes & impetuoſi, nempe Diomedes, Aiax, & Atrei præſtãtes filij, quos certe me tui cæſo licet Achille: utinã & illos quoq; Apollo, argenteo inſignis arcu, è medio tolleret, tum quidẽ à bello & acerba cæde reſpirare liceret, nobis optãtibus. Vt dixit, dij

autem

autem in cœlo ſedebant, crebra ducentes ſu ſpiria, quicunq; pro Græcorum ſalute ſtete runt, & capita nubibus obducebant, animũ dolore cruciantes, alij contrà gaudium & lę titiam agitabant, qui nempe Troianorũ res ſortiri exitum lætum optabant. Tum Iuno hiſce uerbis Iouem compellabat, Iupiter pater, cur tu Troianis es ſubſidio? formoſæ tuæ filiæ oblitus, quam tu antea diuo Peleo nuptum dederas, immortali ſtabilito cõnu bio, in Pelei conuallibus, quo die nos om- nes nuptiali conuiuio accipiebamur, & mul ta egregia obtulimus munera, ſed hæc tibi exciderunt, & Græciæ magnum meditaris luctum: ſic dixit quidem. At Iuppiter nõ eſt illam dignatus reſponſo: ſedebat enim mœ ſto animo, & multa ſecum uolutans, quia fu turum erat, ut Gręci, Priami urbem ab imo euerterent, quos quidem graui multare exi tio cogitabat, tũ terra, tum mari, & hæc cer- te, ut meditabatur, ſic poſtmodum confecta reddidit: at ſol occidit, & terra caligine prę- texebatur, tũ reſpirant nonnihil mortales à laboribus. At Græci in nauibus cibo corpo ra curabant, licet graui affecti dolore: nõ eſt enim fas à cupido uẽtre profligare indomi tam famẽ, ubi ea ad pectus uſq; penetrat, ſed

Digitized by Google

ſtatim agilia flacceſcunt membra, nec ullo remedio occurrere datur, niſi moleſtũ expleas uentrẽ: qua de cauſa cibo ſe reficiebãt Græci, licet grauiter Achillem mœrentes, nam magna omnes urgebat neceſſitas: at ſaturatos ſuauis corripuit ſomnus, & profligauit ex animo curas, deinde & uires addidit. Porro ubi Vrſæ ad orientem capita obuerterent, rapidũ ſolis lumen ſuſcipientes, tum aurora ſe terris oſtendebat, ac Græci è ſtratis corpora corripiebant, Troianis cædẽ & perniciem meditantes: mouebantur autem non ſecus, ac immenſum mare Icarium, aut ut aridæ ac denſæ ſegetes, cum incubat magnus turbidi Zephyri impetus: ſic exagitabatur populus ad littus Helleſponti: & tum Diomedes, in ſpem arrectos, tali oratione adortus eſt, Si ô amici, uere bello præſtamus, nunc ardentius pugnã cum infeſtis hoſtibus ineamus, ne animos quodãmodo efferant Achille extincto, ſed agedum, omnem apparatũ bellicũ urbi admoueamus, labor nobis certe gloriam cõciliabit: talem apud Græcos orationem habuit Diomedes. Sed Aiax bellicoſus ita reſpondit, Tu quidem, ô Diomedes, nec incommoda, nec uana loqueris, extimulans cum hoſtibus pugnam

capeſcere

peſcere bellicoſos Græcos, qui ſuapte ſponte eo feruntur ſatis, uerum neceſſum eſt in nauibus morari, dum ſe huc è mari corripiat diua Thetis: nā magno effertur ſtudio ad filij ſui tumulū, egregia proponendi certamina, ut heri mihi ſoli retulit, cum maris ſubiret gurgites, & ſpes me habet fore, ut præpropere ſe huc ferat. Cæterum Troiani etſi fato functus ſit Achilles, non excident magnis auſis, donec uel ego, uel tu, uel præſtans Atrides in uiuis ſumus: ſic dixit Aiax Telamonius, minime cognitū habens, dæmonē ſibi poſt hęc certamina exitiū ſtruere. Cui iterum reſpondet Diomedes, Si igitur, ô amice, hoc die uentura ſit Thetis, ut egregia ad filij tumulum certamina proponat, apud naues & ipſi maneamus, & alios detineamus: nam abſurdum plane eſſet, nō ſe immortalibus prębere morigerum, quin potius, & ipſi immortaliū cauſa nobiſcum in animo diſpiciamus, quo pacto gratum aliquem honorem Achilli deferre poſſemus: ſic dixit bellicoſus Diomedes, & tum ſe Pelei coniunx è mari extulit, auræ matutinæ ſimilis, & ſtatim petijt Græcorum cœtum, ubi prompto animo manebant, hi quidem egregiū illud certamen inituri, alij ſpe-

ctando animum oblectaturi, quibus collectis formoſa Thetis propoſuit præmia, & ad certandum animũ accendit. Hi uero ſtatim deæ iuſſa capeſſebant, & primum certe in medium ſe intulit Neſtor, non quidẽ crudo cœſtu aut uafra lucta pugnam committere cupiens, nam huius quondam artus & membra omnia triſtis ſubegit ſenectus, ſed illi adhuc animus in pectore præſens, nec quiſquam Græcorum alius, cum illo certamen ſuſcipere fuiſſet auſus, cum oratione in foro agendum eſſet, cui etiam Vlyſſes uir eloquẽtiæ gloria inſignis, locum dedit, imo & ipſe Agamennon, cuius regia dignitas omnibus Græcis præluxerat, quare ſe nunc in medium ingeſſit, prudẽtem Nerinen laudib⁹ celebraturus, quę omnes marinas deas & modeſtia & forma ſupereminebat, at illi audienti magno gaudio prætentabatur pectus, tum hic cupidas Pelei nuptias laudibus proſequebatur, quas mortales dij confeciſſent circa Pelei montis uerticem, & ut diuinũ conuiuiũ hoc agitauerunt, quando ipſę Horæ immortalibus manibus, diuina propoſuerunt fercula, aureis caniſtris, Thetis autem gaudio delibuta, argenteas inſtruxit menſas, Vulcanus uero puriſſimum excitauit

Neſtor in mediũ prodit, ut funebri oratione Achillẽ celebret.

Digitized by Google

uit ignem, at nymphæ circumquaq; ambroſiam aureis miſcebant poculis, uerum Gratiæ ad amabilia ſe tripudia uertebant, Muſæ autē ad cantum, quibus & montes & fluuij ſtrepebant, & purus Aether gaudio exultauit, & antra quoq; Chironis, imo & ipſi dij, & hęc quidē oratione, ſane q̃ gratiſſima Gręcis proſequebatur Neſtor. Et hi audientes immortalia Achillis opera, ingēti afficiebantur uoluptate, cecinit autē in medio certamine, corona autē qua cingebatur, ſecundo omnia applauſu excipiebat. Hinc igitur ducto exordio, mirum q̃ celebrauerit uirũ pręclarũ, uerbis ad rem appoſitis, nempe quo pacto duodecim urbes in ſua nauigatione excidio dederit, deinde terra undecim, quo pacto lœtho ſtrauerit & Telephũ, & Aetionem apud Thebas, deinde quomodo haſta ſuperauerit Cygnũ Neptuni filium, & Polydorum diuinũ uirum, & Troilũ admirandum heroa, & præſtantem Steropæum, ad hęc quo pacto ſanguine tinxerit Xanthi fluenta, & cadaueribus oppleuerit omnē ſtrepitu labentē amnem, deinde Lycaoni animam extinxerit apud ſonorũ fluuiũ, & Hectorē domuerit, & Pentheſileam deiecerit: præterea quo pacto eius dextra ceciderit di

uus Auroręfilius,& hæc quidē cecinit, Grę
cis ſcientibus licet,deinde q̃ horrendus fue
rit,quo pacto nemo ſuſtinuerit cum illo ma
nus conſerere,ne iuuenili quidē certamine,
quando pedū curſu ſe mutuo laceſſunt iuue
nes, nec cū haſtis cōcurrendū,aut cominus
gladio res gerenda eſſet: præterea quod for
mæ dono longe cęteros Gręcos anteiuerit,
& quomodo infinitis uiribus fuerit ſuffult⁹,
quando prělio hoſtē laceſſere oporteret,ad
hęc precabatur immortales,talē ſe uidere à
Scyro pręclara,uenientem filium. At Gręci
omnia hæc ſecūdo applauſu proſequebant̃,
&ipſa quoq; formoſa Thetis,& illi dono de
dit acres equos,quos prius Achilli haſta prę
ſtanti,Thelephus dono dedit,ad Caici flu-
enta,cum illum è malo hulcere laborantē,
curaſſet haſta, qua illi ſecum congreſſo fœ
mur perfodit,& hos quidem Neſtor amicis
dedit,qui ad naues deduxerunt,admodū il-
luſtrantes diuinum regem. Porro Thętis in
curſus certamine propoſuit decem uaccas,
quarum cuiq; nitida iuuenca uberibus ſub-
mittebatur, quas aliquando fortis Achilles
haſtę uiribus fret⁹,ex Ida abegit,ob quas ſe
ad certamen accinxerunt,uictorię cupidine
accenſi, imprimis Teucer Telamonius, &
Aiax

Digitized by Google

Aiax, qui inter Locros telorum iactu eximios, illuſtris habebatur: at hi præcinxerũt ueſtes circum uerenda, & omnia quæ inferne, ut decet, uelabant, ueriti Pelei uxorem, & alias Nereides, quæ cum hàc ſpectatum uenerant, fortia Græcorũ certamina, hiſce autem certaminis metam pręfixit Agamennon, qui in omnes Gręcos imperiũ obtinebat. Cæterũ illos contentio extimulauit: nã è carceribus rapido curſu effundebantur, accipitribus ſimiles, ita ut in ambiguo fuerit, uter alterũ præcurreret, Gręci autẽ utrumq; ſpectãtes, acclamationibus alter alteri uires euibrare nitebantur, & cũ cupidi metæ iam inſtarent, tum Teucri uires & membra impedierunt immortales, nam deus aut Ate quæpiam innexuit illũ triſti geniſtæ ramo, quæ profundius radices agere cõſueuit, quo impeditus humi fundebatur, & conuexũ ſiniſtri pedis incuruabatur miſere, & humidę utrimq; uenę intumuerunt. Tum Græci fremitum tollebant, Aiax autẽ eum præteriịt lætabundus, & Locri illum ſequentes concurrerunt, nam repentino quodam gaudio occupabantur omnium pectora, & ad naues boues agere properabant, ut diſtribuerent: at Teucrum, amici omni obſequio aſſe

 ctati,

ſtati, claudicantem ducebant, et medici ſubito ſanguinē è pede educebant, & penicillo uulnerario, lanas unguento oblitas ſuperligabant, ſciteq́; obuinctis faſcijs, pernicioſos cruciatus deduxerunt. Porro ab alia parte duo præſtantes uiri, Diomedes & Aiax, bellicæ luctę ſtatim animū intendebant, in medium ſe ingerentes, Græci uero eos uidentes, admiratione concitabantur, nam uterq; inceſſu numen quoddā repræſentabat: commiſſi ſunt autem ferarum in morem, quæ in montibus ob ceruum in prælia ruunt, pabuli inopia laborantes, & pari robore pręſtantes, neutra ne tantillum quidē de impetu remittit, cum utraq; ſit intrepida: ſic iſti æquis uiribus in certamen deſcendunt, tandem autem Aiax Diomedē ualidis manibus corripiebat, ſuffocare conniſus, at ille peritia artis & robore, latus ſubducens, præſtantem Telamonis filium repente ſublimē arripuit, & lacertis humerū figens, & pede aliorſum fœmur feriēs, humi ſtrauit fortem uirū, & illi aſſidebat, tum alij clamorem ſuſtulerunt. At Aiax indignatus in animo, ſe iterum in pedes excepit, in triſtem pugnam ruens, & ſtatim horridis manibus puluere illū perfudit, magnoq́; furore elatus, in medium uocabat

Aiax & Diomedes luctā aggrediantur.

cabat

cabat Diomedem, at hic nihil illum formidans, ſe obuium tulit: tum magna uis pulueris utrimq; oriebatur: porro hi utrimq; ut tauri in pugnā ferebātur intrepidi, qui montibus uirium periculum facturi concurrunt, uentosq́; laceſſunt ictibus, & ſparſa ad pugnam præludūt harena, utriuſq; mugitu reboant colles: at hi intoleranda quadam cupidine accenſi, dura capita & magnum robur conferunt, in ſeſe mutuo animi uires explicantes, & præ labore crebros ducentes anhelitus, triſtem pugnam trahunt, ac multa utrimq; ſpuma humi defluxit: ſic illi ualidas conſerentes manus, laboribus conficiebantur, nam utriuſq; tergum & ualidæ ceruices manibus concuſſæ, ſtridorē ædebant, ut in montibus arbores in ſeſe mutuo floridos abijciētes ramos. Sæpe Diomedes ualidas manus iniecit magno Aiacis femori, ſed ne ſic quidem loco illum mouere potuit, ualidis gradientem pedibus, hunc autē Aiax deſuper irruentem, ex humeris in terrā deiectum in harena extēdit, at nunc hic, nunc ille humi fundebatur: ſpectatores autē circumcirca magnū ædebant fremitū, hi quidem Diomedi, alij uero Aiaci animū accendere conati, at hic fortem uirum ex humeris

ris utrimq; intendens, ſubiecta uentri manu impetuoſe in terrã miſit, non ſecus ac petrã, magno robore impulſam, ingenti autẽ miſcebatur ſtrepitu Troianũ ſolum, collapſo Diomede, Populus autem acclamauit, At ne ſic quidem impetũ repreſſit Diomedes, cupiens tertium magno Aiaci congredi, ſed Neſtor ſe mediũ intulit, & tali oratione utrumq; adoritur, Vos ſplendidi filij, ſuperſedete lucta bellica, eſt enim nobis omnibus compertum, quanto Græcis cæteris præſtatis, magno Achille extincto. Vt dixit, hi quidem laborando deſtiterũt, manibus è fronte diffluentẽ ſudorẽ abſtergentes, & ſe mutuo exoſculabantur, nam amicitiæ certamẽ propoſitum erat. Cæterum Thetis ueneranda dea, dono dedit illis Naiades, prudentia inſignes, quas ipſi fortes heroës ſpectantes obſtupuerunt, quoniam inter omnes Naiades eminebant & modeſtia & operibus, extra unam formoſam Briſeida, quas aliquando Achilles prędam egit ex Lemno, at hę in animo gaudebant, nam hæc eſculentorum ac poculentorum proma erat, iſta autem conuiuantibus ſuaue uinum miſcebat, alia uero à cœna aquam lauandis manibus infudit, altera iterum menſam tollebat, ſolu

Digitized by Google

luto cõuiuio:has igitur Diomedes,& Aiax inter ſe partiti ad naues ablegarunt. Ad hęc Idomeneus ad cœſtuum pugnam animum appulit,quia omniũ certaminum peritiã habebat,ſed nemo huic occurrere audebat,ſiquidem uerecundia moti omnes,illi locum dabant,quia maior in eo dignitas relucebat. Tum autem illum Tethis donauit curru & equis uelocibus, quos prius Patroclus è Troia abegit,cum Sarpedona neci dediſſet, quos quidem famulo,ad naues abducendos præbuit, ipſe uero in præclaro certamine manſit. Tum Phenix Græcos alloquitur, Nunc quidem dĳ Idomeneo, bonũ fruſtra certamen dederunt, nondũ quippe nec humeris & manibus defatigato, ſed certe ſine ſanguine,maiorem natu uirum honorantes, at uos alĳ uirenti ætate uiri,animũ erigite, manus certaminũ haud imperitas uobis mutuo admoliẽtes,& Achilli animũ cœſtuum pugna exhilarantes. Vt dixit, hi audientes ſeſe mutuo intuebantur, & omnes illic manſiſſent,detrectantes certamen,niſi eos increpaſſet Neſtor,Heus amici, nõ par eſt uiros belli haud imperitos,gratum cœſtuum certamen ſubterfugere, quod iuuenibus uoluptati eſſe debet, labore autem gloriã parit: utinam

utinam meis membris adhuc robur ineſſet, quale cum Peleum diuinum uirum ſepeliuimus, & ego & Acaſtus conſobrini in unum compulſi, quando ego in dubiam uictoriæ aleam cum Polluce ueneram, tulerã autem par illi præmium, nam in lucta me Anteus uiribus longe aliјs anteſtans, & miratus eſt, & metuit, nec mecum de uictoria in certamen deſcendere audebat, quia illum antea apud bellicoſos Epæos ſuperaui, quamuis uir prçſtans eſſet, nam collapſus pulueretergum defœdauit, ad Amaryncei tumulũ, *in* ipſo enim meum robur ac magnæ uires, omnium animos admiratione concitarunt, qua de cauſa nunquàm ille mecum manus conſerere auſus eſt, licet uir fortis eſſet, ſine puluere autẽ præmiũ abſtuli: at nunc me & dolor & ſenectus inuaſerunt, quare uos iuſſi, quibus par eſt, in certamen deſcendere: magnam enim gloriam conciliat florentis ætatis uiro, prçmium è certamine ablatum. Cum dicendi finẽ feciſſet ſenex, ſurrexit uir audax Epæus magnanimi Panopæi filius, qui poſtea equũ machinatus eſt, in exitium Priameæ urbis, ſed nemo eſt illi auſus pedẽ cõferre in cœſtuum certamine, uerum non tanta rei bellicæ ſcientia præminebat, quan

do

Digitized by Google

do prælium cum hoſte tentandum: & certe ſine ſudore ablaturus fuiſſet Epæus præmia ad naues Græcorum, niſi illuſtris Theſei filius, intrepidus bellator eũ adijſſet, magno animi robore præſtans, & admiranda lora manibus tenens, quæ illi prę ſtans Agenorides ſcite manib' immiſerat, cohortatus ſuum regem, ſic quoq; amici Epęo animos addere conati ſunt, at hic ut leo ſe in mediũ ingeſſit, manibus tenens miranda, bouis ui mactatæ, terga. Populus autem hic atq; illic magnum clamorem ſuſtulit, fortibus uiris animũ accendere conniſi, ut ſanguine duras manus imbuerent. Porro hi ipſi ſtetêre in ſtricto certaminis aditu, promptis animis ambo lacertos tentantes, ſint ne ut antea flexiles, nec belli mole grauati, conſtitit in digitos extēplo arrectus uterq;, brachiáq; ad ſuperas interritus extulit auras, immiſcebantq; manus manibus, pugnãq; laceſſunt, oculorum aciem huc illuc uoluentes, ac pedem pedi opponebant, & diutius abduxère retro longe capita ardua ab ictu, ac committebantur leuibus nubibus ſimiles, quæ uentorum procellis in ſe actę fulmen eiaculantur; magnus autem æther mouetur, concuſſis nubibus, procellæ uero magnum fragorem

Digitized by Google

gorem ędunt:ſic horum duro ſub corio ma læ crepitabant, magna uis ſanguinis diffluebat, & cruentus ſudor fronte expreſſus, feruidas genas rubore ſuffundebat: immenſo enim labore ſe defatigabant, animis prompti, nec ſui oblit⁹ eſt Epæus, ſed inſtitit ſemper robore furens, hunc certe Theſei filius certaminis haud imperitus, uires in uentũ effundere ſępe conpulit, & arte deductis utrimq; manibus, in ſupercilia illiſit, aſſiliens ut ad os penetraret, ſanguis autẽ illi ex oculo diffluxit. Sic igitur grauis Epæi manus circa Achamantis tempora oberrans, membra ei in terram depulit, ſed ſe ſtatim in pedes excepit, & in fortem uirum aſſultum fecit, illiq́; caput ferit, hic igitur irruentẽ ictũ modice declinãs, ſiniſtra manu illi frontem uerberauit, & alio diſtorſit nares, aſſiliens, ita ut ne ipſe quidem quacunq; manus porrigere poſſet. Proinde hoſce Græci quãuis nihil laboris pro parãda uictoria ſubire detrectantes, dirimebant: famuli ſtatim terga cruenta manibus educebant. Tum ipſi parum reſpirabant, frontibus ſudorẽ cauernoſis ſpongijs abſtergentes, & ęquales ac amici dictis mulcentes, ſibi mutuo oppoſuerũt, ut ſtatim omnem ex animo delerent iracundiam

diam

diam, iungentes amicitiam, at hi ſtatim obſecundabāt amicorũ admonitionibus: nam uir prudēs manſueto ſemper eſt animo, exoſculabantur ſe mutuo, & triſtis contentio prorſus animo excidit. Hos igitur formoſa Thetis duobus argenteis crateris donauit, quos Iaſonis præſtās filius, redēptionis precium dedit Achilli, pro forti Lycaone, in famigerata Lemno, quas Vulcanus fecerat, formoſo Dionyſo donum, quando in cœlum adduxit diuam coniugem, illuſtrem Myconis filiam, quam aliquando Theſeus deſeruit in circumflua Creta, has igitur bonus Dionyſus refertas nectare ſuo filio dono dedit; at hic cum multis alijs poſſeſſionibus Hipſipiliæ, hæc diuo ſuo filio reliquit, qui eas Achilli dedit, Lycaonis cauſa: alterā igitur habuit præclari Theſei filius, alteram uero prẹſtans Epẹus ad ſuas naues miſit læ tabundus, cui Podalyrius omnes uerberibus conuulſas partes recte curauit, quia primo exuxit ſanguinem, deinde manibus artificioſe cōſuit, & pharmaca ſuperpoſuit, qualia ſibi antea pater exhibuiſſet, eodem igitur die curabantur immedicabilia uulnera, & capitis ac faciei quaſſationes mitigabantur, ac dolores ſedabantur; deinde Teucer & Oilei

Aiax,ſtabant accincti ad ſagittarum certamen, qui & antea periculum fecerant, uter pedũ celeritate anteſtaret. Hiſce igitur procul ſtatuit, prçſtans Agamennon criſtatam galeam, & illi certaminis palmã ceſſuram, qui galeæ criſtas ferro abraderet: Aiax igitur ſuum primus emiſit telum, ferijt autem galeam, reſonuit uero æs acutiſſime, ac Teucer magna animum ſolicitudine excutiens, ſecundus iaculabatur, uerum abraſit galeæ criſtas telum, & ſpectatores magnum ſuſtulerunt clamorem, maximis illum laudibus ad cœlum ferentes, quia pedum lapſus illi ægre fuit, ſed nõ potuit ipſi, cum dirigeret, fraudi eſſe uelox iaculum. Proinde ei Thetis dono dedit egregia Troili arma, quẽ iuuenum florem Hecuba Troiæ peperit, nec tam illuſtri filio frui potuit, quia illum iam intrepidi Achillis haſta uita priuauit, ut qui roſſido ac florido horto, cui irrigua adeſt foſſa, aut ſpicã aut papauer iamiã florere incipiens acuta falce demeſſuerit, cũ antea fructuũ particeps fuerit, nec ſinit ad perfectionem uenire, aut ad aliud ſementum perduci: demeſſuerit, inquam, uacuum, & ſemine carens, cum futurum fuerat, ut roſſido uere matureſcat, ſic Priami filium dijs forma ſimi

lem

lem ante diem orco dimiſit, adhuc thalami expertem, & inter pueros iuueniliter agentem, ſed illum ad exitiale bellũ traxit fatum, lætos pubertatis annos ingreſſum, cum temeritate efferũtur pectora, nec animus adeſt, deinde iterum diſcum im̃mani magnitudine multi tentarunt, ueloci manu emittere, ſed nemo Græcorum potuit, ſolus autẽ ualidus Aiax forti manu iaculabatur, non ſecus, ac agreſtis quercus, ramum feruidæ æſtatis tempore arefactum, quando omnes ſegetes humi exiccantur, omnes autẽ ſtupore perculſi ſunt, quando immane uolauit metallũ, quod duo uiri non ſine magno negocio humo tollere potuerunt, quem diſcum Antęus facile antea manu iaculabatur, uirium ſuarũ periculum faciens, priuſquàm ualidis Herculis manibus ſterneretur, porro Hercules illum cum magna præda direptum, indefeſſa manu tenuit, q̈uis ob ponderoſam molẽ certamini minime quadrantem, ſed illũ poſtea prçſtanti Aeacidæ dono dedit, quando cum illo egregie munitũ Ilium ex imo uerteret, ille autem filio dedit, at hic nauigijs ad Troiam tulit, ut patris ſui memor, magna animi promptitudine, cum Troianis prælium iniret, eſſetq; quo uires ſuas exerceret,

quem tum Aiax procul admodũ ualida manu emittebat, & illi Thetis præclara dedit arma diui Mēnonis, quæ Græcos omnes in magnam adduxerunt admirationem, erant enim inuſitata quadam magnitudine, & hęc quidē in cachinnũ diſſolutus ſuſcepit uir illuſtris, nã ſolius illius fortib⁹ mēbris admota, quadrabant immenſo corpori, & iterum ſuſtulit magnũ diſcum, ut eſſet quo ſe oblectaret, cupiēs magnas uires exercitare: prę-terea multi ſe in medium tulêre, ſaltandi certamen laceſſentes, at multorum metas longo interuallo tranſiliȷt pręſtans Agapenor, illumq́; omnes in longũ curſum effuſi inſequebãtur, & Thetis egregia dedit arma magni Signi: hunc autē inter omnes principes maxime eminentē neci dedit Achilles, cum à Protheſilai cæde multos orco mitteret. Troianorum autem animos occupauit dolor: porro Eurialus iaculandi arte multo excelluit certantes, & populus magnum ſuſtulit fremitum: aſſerebant enim neminē illum poſſe ſuperare alato telo: quare illi Thetis capacem dedit phialã, qua aliquando Achilles ſuas facultates auxit, cum deuaſtata Lerneſo Nenertem haſta ſtrauiſſet. Cæterum Aiax magnanimus nullũ detrectans ſubire

laborem

Digitized by Google

laborem, uel manibus uel pedibus, ſurgens prouocabat in mediũ præſtantiſſimũ quenque heroum, qui uidentes impetuoſum ac fortem uirũ, admiratione perculſi ſunt, nec quiſquã illi occurrere auſus eſt, nam triſtis formido omnium infregit uirtutem: metuebant enim ne quem manibus cędens, immanibus plagis faciem confundat repente, & magno uir hic multetur infortunio: at tandẽ omnes reſpexerunt ad bellicoſum Eurialum cœſtuum pugnæ non imperitum, qui tale in medium protulit uerbum, nonnihil formidans uirum fortem, Quicunq;, ô amici, aliorum Græcorum mecum manus conſerere uultis, nõ recuſo, à ſolo autem Aiace abhorreo, longo enim interuallo me antecedit, dirumpet certe mihi pectus, ſi inſultet iracundia percitus, nec hercule exiſtimo illius me ſubſtractum manibus, incolumẽ ad naues uenturum. Quod ubi dixiſſet Eurialus, alıj in riſum prorumpebant, Aiacis uero animus gaudio tẽtabatur: abſtulit autẽ duo argenti talenta, quæ illi Thetis certaminis cauſa, nullo exhauſto labore dederat: nam cum Aiacem intueretur ſubijt chari filij imago, & luctus inuaſit animum. Cæterũ quibus equeſtre certamen ſtudio erat, repente

 exilirent

exilirent, urgente certamine, primus quidem Menelaus, deinde temerarius Euripilus, tum Eumelus & Thoas, & diuinus Polypetes, tum equos collaria induebant, & curribus iunxerunt, omnes ad lætam uictoriam magno animo accenſi, ſtatim uero in campū curribus uecti deſcenderūt, nempe ſanguinariū locū, & unuſquiſq; in carcerib⁹ quadrigas tenuit, & repēte habiles parauit equos, ualidis manibus: equi autem cōmoti magno feruore quadrigis aſtant, ut quis proſiliret, porro ſtare loco neſciunt, micant auribus, & frena ſpumantia mandunt, at hi repente effuſi, pernices equos ſcutica cædunt, illi autē rapidis Harpijs ſimiles, repente magno curſu iuga corripiebant indignantes, & ſubito quadrigas ferebant, à terra ſubſilientes, nec erat rotarum aut pedum ueſtigia in terra cernere, tā rapido curſu uolabāt equi: magna autem uis pulueris in ſublime ferebatur, fumo aut nebulæ ſimilis, quam ueniente tempeſtate nothus, aut zephyrus, montibus uel ſcopulis circumfundūt, cum montium iuga imbribus diſtillant. Porro Eumeli equi perniciſſime ferebantur, quos tamen aſſequebantur equi Thoantis, at alius alio in curru fremebat, equi autem rapiebant la-

tum

Digitized by Google

tum campum, & ille, quem maxime hoſtes metuunt ex Aelide diua facinus memorabile ędidit, fraude uſus aduerſus Aenomai currũ, qui aliquando iuuenibus crudele ſtruxit exitium, ob filiæ Hippodamiæ cõnubium, quàmuis tamẽ equeſtri arti impenſius operam dediſſet, tanta celeritate equos non habuit, ſed pedibus multo inferiores, nã uentis erant ſimiles, proinde magna gloria extulit & equos & ipſum Agamennona, at illi ingenti gaudio animus perfundebatur, hos autem anhelitum ducentes ſtatim ſoluerunt famuli iugo, quin & illi ipſi, quicunq; certamini interfuerunt, pernicibus equis frena ademerunt. Cæterum Podalirius curabat Thoanti & Eurialo uulnera, quæcunq; curribus diffluentes, rotarũ ac ungularũ obtritu accepiſſent: at immane, quãto afficeretur gaudio Agamennon, ob partam uictoriam, & illi formoſa Thetis donauit aureum poculum, egregiam diui Eętionis poſſeſſionẽ, antequàm Thebas euertiſſet Achilles, alij uero aliunde equos ad curſum extimularũt ſumptis magnis ſcuticis, & omnes ruentes equis inſidebant, at hi frena ſpumantia mandebant, & ad curſum proni pedibus terram pulſabant, alij uero carceribus emittebantur,

tur,alij iterum à meta rapido curſu reducebantur, cõtentione accenſi,haud diſſimiles impetuoſi Boreæ procellis,aut fragoſi Zephyri, quando procellis & turbinibus miſcet mare magnũ, ubi triſte illud incitamentúm exoriatur, calamitatem ferens nautis, multis luendam lachrymis, ſic illi mouebãt puluerẽ pedibus uelocibus, immenſa celeritate abrepti, porrò aurigæ ſuos quiſque equos alia quidem manu ſcutica feriens,altera uero intendens cõtinue,circa genas grauiſonum concutiebant frenum, equi autem inualeſcebant, immenſus uero clamor per turbam oboriebatur, hi certeper campum uolabant,& profecto Argiuus equus,ſeſſore Stenelo,multo uiciſſet,niſi & curſu extorſiſſet, ac ſæpius in campũ ferri permiſiſſet: non enim manibus reflectere potuit Capanei filius, nam adhuc certaminũ imperitus erat equus, genere alioqui non malus, erat enim à diua Arionis ſtirpe, quem Harpija peperit ẽ ſonoro Zephyro,multo omnium præſtantiſſimũ,quia pedum celeritate certamen ſuſcipiebat cum pernicibus ſui patris procellis,& illũ Adraſtus deorũ dono tenebat, unde ipſe genus ducebat, tum illũ Diomedes ſuo amico dono dedit apud Troiã,

qui

qui celeritate fretus, eũ in certamen ac equorum contentionem adduxit, perſuaſum habens primam ſibi equeſtris certaminis gloriam ceſſuram, nec illi animus ſuggeſſit ob Achillem ſe certamina ſubijſſe, ubi certe futurum erat, ut ſecundum uirtute locum obtineret, nam Agamennon eum licet celerem peritia præterijt. At populus Agamennonẽ laudibus extulit, deinde & Steneli equũ, & ipſum quoque Stenelum, quia ſecundus uenerat, etſi ſæpe meta exilijſſet, magno robore ob pedum celeritatẽ furens, & tum læto Agamennoni Thetis dedit argenteum Polydori thoracem, Stenelo autem magnam & fulgentem galeam æneam & duas haſtas, & immanem mitram, deinde & alijs equitibus, & quicunq; illo die aderant, ut ad Achillis tumulum certamẽ inirẽt, dona dedit omnibus. Cæterum Vlyſſes animi angebatur, quia eum fortitudinis cupidũ acerbum uulnus ualidis amouit certaminibus, quod ei circa Achilllis cadauer prælianti præſtans uir Alcon inflixit.

Quarti libri finis.

Digitized by Google

IN QVINTVM LIbrum argumentum.

THetis cæteris confectis certaminibus, Achillis arma in medium propoſuit, illi auferenda, qui in aſſerendo Achillis cadauere maiorem nauaſſet operam. In mediũ prodeunt Aiax Telamonius & Vlyxes, multis utrimq; uerbis cõuincere enitentes, ſibi iure cedere hæc arma debere. Verum Neſtor conuocatis Atridis, author eſt, ut captiuis Troianis hanc iudicandi prouinciã tradant, ne alter ſua ſpe fruſtratus, exitium Græcis ſtruat, Troiani igitur Vlyſſi hæc arma deferunt, quare Aiax in rabiem actus, graſſatur in oues Græcorum, exiſtimans ſe Vlyſſi & cæteris Græcorum proceribus necem adferre, ſed tandem à Minerua ſaniori mẽti reſtitutus, ſe illuſum intelligit, pudore igitur extimulatus, proprio enſe ſibi mortem conſciſcit.

Digitized by Google

QVINTI CALABRI DERELICTORUM AB HOMERO, LIBER QUINTUS.

MVltis igitur confectis certaminibus, Thetis ĩmortalia Achillis magnanimi arma in mediũ propoſuit, at quoquo uerſum fulgorem à ſe mittebant, quæcunq; Vulcanus ſcuto inſculpſiſſet Achillis, & hæc quidem affabre facta erant in dei opere, cœlum ſiue æther, & terræ mare incumbebat, inerant uenti, nebulæ, luna, ſol, & alia alio digeſta ordine, deinde etiam inſculpta erant omnigena animantia, quæcunq; rapidũ per cœlum circunferuntur, ſuper quæ aër per cuncta rerum meabilis diffunditur, in quo roſtratę aues circumuolant, diceres uiuas, flatibus librari, Thetis autem, & altus Oceani decurſus terram ambibãt, unde deducebantur amnium fluenta, in circum aliunde alia, per terram circumducta, ſimul per uaſtos montes horridi oberrabant leones, & lupi, & urſi, pardales ſimul & immanes ſues, luctificos magno cum ſtridore acuẽtes dentes

quos à tergo premebant agreſtes, ualidos canes ſtimulãtes, alij ſaxa & ſpicula iaculantes, in aduerſum nitebantur, non ſecus, ac ſi res uera gereretur: prætereа etiam exitialia bella & difficiles pugnæ inerant, uiri ſimul cum equis obterebantur, uniuerſum ſcuti ſolum multo ſanguine rigari uidebatur, inerãt quoq; metus & terror, & gemebunda Bellona, omnibus membris ſanguine pollutis: deinde & cõtentio pernicioſa, & horrorem animis immittentes Furię, quarũ hęc quidẽ uiris ad effrenem pugnam faces ſubdere conabatur, illæ uero pernicioſi ignis uaporem flatu excitabant: circumfuſa autem erant triſtia fata, inter quę oberrabat acerbę mortis uiolentia, quam certe obſtipabant mali omnis pugnæ, è quarum membris undiq; in ſolũ defluxêre ſanguis & ſudor, inerant quoque gorgones, circa autẽ formidabiles dracones nexabant nodos, ſeq; in ſua membra plicabant, horride lãbentes linguis uibrantibus ora, & quod maxime admirationi eſt, ſquamas maculoſus incendebat fulgor, & tã prope ad uiuos dracones accedebant, ut intuentibus horrorẽ incuterent. Hæc quidem omnia prodigioſa belli ſigna inſculpta erãt, porro ſeorſim quoq; inerant formoſæ pa-

cis

cis opera: nam circumcirca infinitæ miſerorum mortaliũ tribus, pulchras ciuitates incolebant, iuſtitia autem meabat per omnia, alij uero alijs operibus manus admoliebantur, arua circũcirca premebantur ſegetibus, terra autem floribus amiciebatur, præ cæteris autem in diuino hoc opere, aſper ille & in aſtra eductus admirandæ uirtutis mons inerat, in cuius cacumine ſita erat palma, procera quidem, & uertice cœlũ lambens, circumquaq; autem & omnes tramites, crebris interruptis ſcopulis, mortalib⁹ iter interclu ſerunt, quare multi retro feruntur, mirati arduas uias, pauci autẽ ſacrum illud iter ſudore diffluentes confecerunt, inerant & meſſores per ſulcorum ordinẽ incedentes, falcibus nuper acutis inſiſtentes ſegetibus, ſub quorum manibus multi manipulorum collectores: opus autem in immenſum excreſcebat, inerant & boues collis ſemper iugo inſertis, quorum hi quidem currus trahebãt, manipulis, ſpicis plenis, grauatos, hi uero terram ſecabant aratro, à quorum tergo atrum ducebat colorem terra, & ſequebantur iuuenes ſtimulos alternis manibus geſtantes, immenſum uero opus repręſentabatur, deinde & tibiæ & cytharæ conuiuijs aderant:

rant: præterea & iuuenum choreæ duceban tur ad mulierum pedes, quæ agilitate ad uiuas proxime accedebant, nõ procul autẽ ap parebat formoſa Venus comis etiamnũ ſpuma obductis è mari cum tripudio, & amabili lætitia emergere, quã Cupido circumuolabat amabiliter ridens, cum decentibus Gratijs, inerant quoq; magnanimi Nerei filiæ, ex lato mari ſororem deducentes ad bellicoſi Pelei cõnubia. Porro immortales omnes conuiuia agitabant in Pelei montis uerticẽ, circumiecta autẽ erant irrigua ac florida prata infinitæ floribus herbæ exculta, & nemora & fontes uitrei, deinde & naues in mari curſum tenebant, hæ quidem oblique ruentes, aliæ autem recta incedentes, circum autem illas inhorreſcẽs intumeſcebat fluctus. Porro nautæ perculſi ſtupore aliunde alias irruentes formidabant procellas, nõ ſecus, ac ſi res ipſa gereretur, candida contrahentes uela, ut exitio ſe ſubtraherent, hi autem tranſtris cõſidebant, remis mare uerrentes, circum autem naues crebro remigio motas cæruleum inalbeſcebat mare, adhæc uero Neptunus connifus, honorifico Balenarũ ſatellitio ſtipabatur, ueloces autẽ illum equi in morem uiuentium properantes, ſummis undis

Digitized by Google

undis uehebant, aurea ſcutica uerberati, circumquaq; autem fluctus ſternebantur illis ruentibus, & æqualis à fronte tranquillitas oboriebatur. Porro frequentes Delphines regem ſuum ſtipantes, immenſo geſtiebant gaudio, regi blandientes, & per cæruleas maris undas nantibus haud diſſimiles uidebantur, quàmuis argento facti eſſent: prætera & infinita alia, magna arte inſculpta erant, huic ſcuto, immortalibus prudẽtis Vulcani manibus, & omnia illa cingebat immẽſus Oceani fluxus, quia ducebatur exterius per ſummum circulum, quo totum ſcutum firmatum erat, omnia autem magno expolita erant ornatu, huic autẽ adiacebat magnæ molis galea, cui Iupiter inſculptus erat, magnas uiſus ardeſcere in iras, per cœlum incedens, circumcirca autem immortales magnos ſubibant labores, ſuppetias uenire conantes, Ioui, Titanibus arma mouentibus, quos magna uis ignis circumfudit: nam inceſſanter fulmina, nubibus ſimilia elidebantur cœlo, magnum enim Iouis robur exagitatũ erat, hi uero ardentibus ſimiles ignem exhalabant, circa autem, thoracis curuatura inflectebatur pulchra, irrumpenda, ac horrida, quæ ſolum capiebat Achillem, tibialia fa

bricata

bricata erant immenſa, quę ſoli Achilli leuia erant, quàmuis admodum eſſent ponderoſa, prope uero enſis intolerandus abunde ſatis fulgebat, tum aureo baltheo, tum argentea uagina exardeſcens, cui capulus aptatus eburneus, diuinis armis decori erat fulgidus, iuxtaq; per terram extendebatur ualida haſta Pelei, proceris abietibus ſimilis, tabū ac Hectoreum ſanguinem etiamnū ſpirans. Cæterū tum Thetis formoſa ſe animi diſcrucians ob Achillē, in diuina hæc uerba prorupit, Nunc quidem omnia certaminis præmia diſtributa ſunt, quęcunque magno animi cruciatu affecta, ob mortuum filium, propoſui, ſed in medium prodeat, quicunq; Græcorū præſtantiſſimus obſtitit, quo minus filij cadauer à Troianis abriperetur: nā illi admiranda & immortalia arma dabo auferenda, quæ etiam beatis dijs cordi eſſent. Vt dixit, ſtatim altercantes ſurrexere Vlyxes & Telamonius Aiax: Aiax, inquā, qui longe inter omnes Græcos eminet, ut Heſperus admodum perfulgidum cœlum conſpicuus, multum alijs prælucet ſyderibus, huic ſimilis armis aſtitit Achillis, & petijt ab Idomeneo & Neſtore, & prudenti Agamemnone, quos exactius cognoſcere opinabatur

batur illuſtris belli opera, ſic quoque in ijs ipſis Vlyſies fiduciam ſitam habebat, ſiquidem hi & prudentia & induſtria inter Græcos erant conſpicui. Porro Neſtor hiſce uerbis ſeorſum alloquitur Idomenea & Atridas cupidos, Heus amici magnum nobis & intolerandum malum, ſecuri cœlites conflare nituntur, nempe magno Aiace, & prudente Vlyſſe, ad non ferendum & acerbum certamẽ ruentibus, quorum utri deus uictoria potiri dederit, gaudebit quidem in animo, alteri uero magnis auctib⁹ increſcet luctus, tum omnes Grçcos dolore afficiet, nos uero ſupra cæteros, neq; ille ut antea pro exercitus noſtri incolumitate in bello ſtabit, uter certe horum magnas animo iras conceperit, ingens inijcietur cruciatus Grçcis omnibus, quia omnes alios heroës anteeunt, hic quidẽ bello, ille uero conſilio, ſed agedum mihi eſtote morigeri, quia ætate uos omnes multum à tergo relinquo, deinde nõ deeſt longæ noſtrç ſenectuti prudentia, quia multis & bonis & malis exercitatus ſum, nam ſenex uaria rerum cognitione occallens ſemper prçſtat, cõſilijs, iuniori uiro, quia infinita nouit: qua de cauſa iudicandi partes de Aiace & Vlyſſe Troianis deferamus, uter

quippe horũ, Achillis cadauer è pernicioſo prælio ſeruauerit. Sunt enim uobis multi Troiani captiui, in hac nouiſſima neceſſitate qui iuſte hanc cenſurã exercere poſſent, neutri horũ gratificantes, quia pari odio in Græcos omnes exæſtuant, magnæ calamitatis memores, qua ab his mulctati ſunt. At ſic dicentẽ interpellat Agamennon, O ſenex, quanto omnibus Græcis præſtas ſapientia, cum ſenibus, tum iuuenibus, qui aſſeras fore, ut maxima accendatur iracundia in Græcos, quem dij fruſtrentur hac uictoria, quandoquidem præſtantiſſimi Græcorum, inter ſe certamen ſuſcipiunt, & certe eadem hæc mecũ in animo uerſo, ut captiuis hanc deferamus cenſurã, nã alter illorũ fruſtratus ſua ſpe, bellicoſis Troianis perniciẽ ſtruxerit, haud certe in nos ſuam euomet iram: ſic dixit. Hi uero eandem animo ſententiam prementes, propalam probarunt amicam hanc cenſuram. Proinde iſtis hoc iudicium unanimiter detrectantibus illuſtres Troianorum filij in medio ſedebant, q̃uis captiui eſſent, ut ius dicerent, & Martiã uictoriam dirigerẽt, Aiax uero magno moto ſtomacho, hęc in medium propoſuit, Heus Vlyſſes mente lęua, quibus pręſtigijs tibi animum perſtrin
xit

xit dæmon, ut in bellica fortitudine te mihi conferre non dubites? an te aſſeras hoſtiles turmas arcuiſſe ab Achille, in pulueribus proſtrato, quando à Troianis cingeretur? cum ego lachrymabilē inter illos ſtragem ædidi, te, metu, perterrito, quoniam te peperit mater formidoloſum & imbecillem, tanto mihi inferiorem, quanto canis rugienti leoni, non ineſt enim in pectore animus, qui uim hoſtium ſuſtinere audeat, ſed fiducia & mala opera tibi cordi fuerunt. An hoc ti excidit, quod Græcis ad Troicam expeditionem in unum coactis, tu ſolus ſubterfugeres, & te metu deiectum & detrectantem ſequi, Atridæ adduxerunt? qui utinam non ueniſſes, tuo enim monitu factum eſt, ut illuſtrem Pęantis filium in Lemno deſeruerimus, magnos cientem gemitus, nec illi tum ſoli acerbam excogitaſti perniciem, ſed etiā diuino Palamedi ſtruxiſti exitium, qui & uiribus & ſano conſilio, te fuit ſuperior, nunc & mihi in aduerſum prodire audes, nec beneficiorum memor, nec animo reueritus te multo pręſtantiorem, qui antea te in pugna ſeruaui metu exanimatū ob hoſtium impreſſionem, quando te ſolum alĳ deſtituerunt in denſis hoſtium cuneis, & terga fugæ nu-

 dantem.

nudantem. Vtinam tunc & mihi cœlitus Iu piter terrorem iniecisſet, ut te Troiani anci piti ferro membratim diſſipaſſent, epulū ſu is canibus, haud certe nunc tuis uerſutijs fre tus, te mihi aduerſum ferre cōtenderes peſſime, cur in medio tenuiſti naues, te multo cæteris prꝫſtantiorem iactitans: nec tibi im perare potuiſti (ut ego) naues tuas foras educere, cum tanta adfuerit fortitudo, cur nō infandum ignem nauibus prohibuiſti? ego uero intrepido animo obſtiti & igni, & He ctori, qui mihi ceſſit in omni pugna, tu uero ſemper illū formidaſti, utinā aliquis tū hoc inter nos certamen mouiſſet, cum circa col lapſum Achillē pugna fuerat accenſa, ut me ex hoſtibus & acerba pugna uidiſſes, egregijs armis & ipſo Achille onuſtū, caſtra petentem: nunc autem dicendi artificio fretus, arduam hanc rem aggrederis, nec tibi certe uires ſuppetunt, ut indefeſſa hæc bellicoſi Achillis arma ſubires, & haſtam lacertis uibrares: at hæc omnia mihi ſunt in procliui. & mihi fas geſtare ſplendida hæc arma, nec probro uertūtur egregia dei dona: ſed quid altercando tempus terimus, de ſplendidis prꝫſtātis Achillis armis? uter ſit prꝫferēdus exitiali prꝫlio, ſiquidem formoſa Thetis ar

morum

morũ hoc certamen, haud certe uerborum in medium propoſuit, uerborum quippe in foro uſus eſt mortalibus: eſt enim mihi con pertum, me & ſplendidiorem & præſtantio rem te eſſe, inde etiam mihi genus ducitur, unde magno Achilli. Vt dixit, huic amaru- lente, interrupto ſermone, reſpondit Vlyſ- ſes, diuerſa mouens conſilia, Aiax immode rate loquens, quid fruſtra tot uerba fundi- tans, me nihili uirum appellas, & malum & imbellem? qui te anteſto & cõſilio & dicen di facultate, quæ fortitudinem uiris auget: etenim in montibus nonne lapicidæ, mini mo negocio ſecant præruptum ſaxũ, quod antea irrumpendum apparebat? nonne gra uiſonum mare nautæ ſulcant, quando in im menſum attollũtur fluctus? arte quoq; agre ſtes ualidos cicurant leones, & Pardales, & ſues, & alias id genus feras, deinde & truces tauri colla iugo ſubdunt, hominum uolun- tate? mente certe omnia perficiũtur: ſemper autem & in ciuitatibus omnibus & cõſilijs inſipiente homine præſtantior eſt, uir multi faria rerũ cognitione imbutus, quare etiam me ſapientia inſignem temerarius Aenedæ filius, ex omnibus elegit commilitonem, ut in hoſtiũ excubias penetrarem, tum autem

rem magni momenti cōfecimus, adhęc ipſi præclaro Achilli perſuaſi, ut ſocia arma iun geret Atridis, aut ſi alio quopiā heroe Græcis opus fuerit, non ille tuis adductus mani bus ueniet, nec certe aliorum Græcorū con ſiliis. Ego uero ſolus ex Gręcis blanda ſedu ctum oratione adducam in iuuenū pręlium: nam ſermo ſapientia conditus, magnum eſt robur mortalibus, fortitudo in caſſum fuerit, & magnitudo nihil cōmodabit uiro, niſi prudens oratio ſit comes. Cęterum mihi dii fortitudinē ſimul cū cōſilio dederunt, & effe cerunt ut Græcis cōmodo eſſem, nec tu me (ut ſuprà commemoraſti) in fugam conuer ſum ſeruaſti, ex hoſtili impreſſione, non cer te fugi, ſed fortiter omnes Troianos facto agmine irruentes ſuſtinui: at hi circumfundebantur manu prōpti, ego uero ualida ma nu multos neci dedi: proinde multū à ueri tate tua aberrat oratio, nō enim mihi ſuppe tias ueniſti, ſed tua ipſius cauſa in ſtatione manſiſti, ne te quiſpiam terga uertentem ha ſta perfoderet: porro naues in mediū traxi, non quidem hoſtium metu perculſus, ſed ut Atridis aliquam ſemper cōficiendi belli ma chinam excogitarem: at tu quidem extra na ues eduxiſti, ego autem meipſum acerbis cę

dens

dens plagis, Troiam intraui, ut diſcerē, quęnam detriſti hoc bello captarēt conſilia, nec quoq; Hectoris haſtā formidabā, ſed inter primos ferebar, pugnandi cum illo cupidine accenſus, cū ille fortitudine ſua confiſus, prouocabat omnes, nūc uero ego plures te circa Achillē interfeci, ex hoſtibus, & ſimul cum armis ſeruaui proſtratum, nec tecū haſta cōcurrere formido, ſed me acerbum uulnus pungit doloribus, horum armorū cauſa uulneratum, deiecto Achille, deinde & ego quoque, perinde ut Achilles, à Ioue genus duco. Vt hæc dixiſſet, reſpondit iterum ualidus Aiax, Verſipellis & omniū prauiſſime Vlyſſes, nec ego nec quiſquam Græcorum alius percipere poteramus, te ullos labores adijſſe, cum Troiani Achillem proſtratum ad ſe trahere cupiebant, ſed ego haſta & uiribus, hiſce quidem in pugna animam extinxi, alijs uero terrorē inieci, ſemper inſtans: hi quidem maxime fugam capeſcebant, anſeribus aut gruibus ſimiles, in quos ingruat aquila, littoralē oram depaſcentes: ſic Troiani meam haſtam & enſem formidantes, in urbem ſe corripiebant, magnæ ſe calamitati ſubtrahentes: tu uero, etſi fortitudo aderat, non pugnabas, prope me cum hoſtibus, ſed

procul alicubi aberas, inter alias phalanges laborans, nõ quidẽ circa cadauer diui Achillis, ubi maxime feruebat pugna. Cum hæc dixit, reſpondit iterũ uafer Vlyſſes, Nec me puto te eſſe deteriorem, nec mente, nec uiribus, etſi tu admodũ ſis conſpicuus, quin potius ego te mente ſum multo præſtantior apud Græcos, at de uiribus in ambiguo eſt, aut etiam ſplendidior, quod fortaſſis Troianis ſatis cõſtat, qui me admodum metuunt, etſi procul uiderint, quin & tu ipſe ſatis noſti meas uires, aut etiam alij, cum in dura lucta magnos exantlauerim labores, quando ad interfecti Patrocli tumulũ magnanimus Achilles pręclara propoſuit certamina. Vbi dicendi finẽ feciſſet Vlyſſes, tum Troianorum filij triſtẽ dirimebant litem, uictoriam autem & immortalia arma, omnes uno ore cenſuerunt bellicoſo Vlyſſi deferenda: cuius quidẽ animus immenſo perfundebatur gaudio, populus autem alta duxit ſuſpiria, diriguit autem Aiaci pectus, & ſtatim grauis incidit noxa, omnis enim purpureus ſanguis efferbuit, intus & bilis ebullijt, atra iecori autem miſcebantur inteſtina, & dolor ad pręcordia uſq; penetrauit, ac acerbus cruciatus per cerebri panniculũ graſſatus, ipſa fundamenta

Achillis arma deferũtur Vlyſſi.

menta obſedit, & prorſus confudit mentem uiri, fixis nãq; humi oculis ſtetit immotus. Porro ſocij dolentes illum ad naues abduxerunt, multis uerbis illũ ſolari conati. At ille mutus extremã inſiſtebat uiã, non ſponte quidẽ, nam prope diẽ ſuũ obijſſet: uerũ ubi ad naues abijſſet, & immenſum mare, Græci animũ cœnæ intendebant, deinde & ſomno, tunc uero Thetis magnũ ſubijt mare, & ſimul quoq; aliæ Nereides, circũcirca natabãt multæ Balenæ, quas nutrit unda ſalſa, hæ maxime ſuccenſebant cõſultori Prometheo, in memoriã reuocantes, illius monitu, Iouẽ nuptũ dediſſe Thetim Peleo, idq; præter eius animi ſententiam, inter quas Cymothoe magna animi indignatione percita, ſic dixit. Heus quàm dignum luit ſupplicium, in uinculis irrumpendis, ſceleratus iſte, ubi illi magna aquila iecur radit in pœnas ſemper ſuccreſcens, ad uterum uſq; penetrans: ſic dixit Cymothoe formoſis marinis nymphis. Sol autẽ occidit & tenebris obducebantur cãpi, nocte ingruente, & aſtra diffundebantur cœlo. At Græci apud naues quiete fruebantur, diuino deuincti ſomno, aut etiam ſuaui uino, quod è Creta ab illuſtri Idomeneo, nautæ per mare iactabundum aduexerunt. Porrò

Aiax Græcis infenſus, nec cibi nec ſomni meminit in caſtris, ſed in rabiē actus, arma ſua induit, & infinita uerſabat animo, naues ne igni abſumeret, & Græcos omnes exitio daret, an ſolum uafrū Vlyſſem membratim ferro diſſecaret, & hæc ut animo ſecum uoluebat, re ipſa executus fuiſſet, niſi Minerua intolerandam animo eius rabiem indidiſſet: nam curæ habebat Vlyxem, ſacrificiorum memor, quæ illi ſtabilia obtulit, qua gratia etiam magni Aiacis uiolentiā à Græcis auertit: hic igit grassabatur horridę ſimilis procellæ, magno uentorum impetu exagitatæ, quæ adfert nautis horridi metus ſignum, ſimul ac Pleias indefeſſi maris undas ſubijt, formidans illuſtrem Orionem, aëra perturbans: furit autem tempeſtate mare, huic ſimilis iuit quo illum membra ferebant, quacunq; autem circumcurſitauit, effrenem feram repræſentans, quæ curſu tranſmittit altorum ſcopulorum ualles, roſtro ſpumanti, & multos animo cruciatus meditatus, aut canibus, aut agreſtibus, qui ſibi catulos interfecerunt, antro extractos. Hęc autem maxillis infrendit, ſi alicubi in denſis uirgultis gratos liberos uiderit, cui ita furijs elato, ſi quis inciderit, uitæ ſtatim iacturam facit: Sic ille

Aiax furore corripitur.

truculente

truculente furens, atra bile efferbuit, non ſecus atque lebes in foco, ui ardentis ignis, impetuoſe uentre furorẽ percipit, cum illi undecunq; magna lignorum copia aggeritur, monitu famuli, magno animi ſtudio urgentis, ut pinguis ſuis ſetas auferat, ſic illius pręcordia magno efferueſcebãt furore, ut quando furit immenſum mare, aut procella, aut acris indefeſſi ignis uis, cum immenſum furit in montibus uiolentia magni uenti, undique proſternitur igni conflagrans immenſa ſylua, ſic Aiax in Vlyſſem magno traiecto pectore furebat acerbe, infinita illi ſpuma ex ore diffluxit, ſtridor autem in maxillis oboriebatur, tum arma humeris circumſonabant. Porro quicunq; uidebant, unius uiri minas exhorruerunt, tũ uero Oceano emerſit, aureis habenis inſignis Aurora, ſomnus autem cœlum conſcendit, auræ ſimilis, & Iunoni occurrit, iam tum omiſſa Thetide, olympum petenti, quo ſuperiori die conceſſerat: hunc igitur arreptum exoſculabatur, erat enim illi gener præſtans, qui in eius gratiam Iouem conſopiuit, in lectis, circa Idæ iuga, Gręcis infenſum: hęc igitur ſtatim conſcendit ad Iouis domum, ille uero ad thalamum Paſitheæ properauit, excitauit autem

morta-

Digitized by Google

mortalium genus. Cæterum Aiax indefeſſo Orioni ſimilis, oberrauit pectore pernicioſa rabie obſeſſo, & in oues inſilijt, ut leo magnanimus, acerba fame domitus, & has quidem cumulatim humi ſtrauit aliunde alias, perinde ac folia horrifer Boreas, ubi exacta æſtate, magna hyems appetit, ſic Aiax magna indignatione percitus, in oues impreſſionē facit, ſperans Græcis mala immittere fata. Et tum Menelaus fratri aſtans clam alijs Grecis colloquitur, Certe hodie Grecis omnibus exitialis aderit dies, magno quippe Aiace in furorem acto, qui ſubito igni naues abſumet, & uos opprimet omnes, in caſtris ob arma iracundia exæſtuans, Vtinam Thetis hoc prius certamen nō propoſuiſſet, nec Vlyſſi in mentē ueniſſet, male ſano animo, cum longe præſtantiſſimo uiro certamen ſuſcipere, nunc uero nobis magna dabitur noxa: nam malus aliquis dæmon nobis infeſtus eſt, ſiquidem belli huius, cæſo Achille, ſolum munimentū eſt fortis Aiax, ſed hunc certe dij male nobis cogitantes, perdunt, ut omnes tali exitio multemur, quod animo haud cōcipi poſſet. Sic loquentem interpellat præſtans Agamennon, Ne nunc ô Menelae te angens animi, ſuccenſeas prudenti Ce

phaleo-

phaleorum regi, non eſt in hunc culpa con ferenda, ſiquidem nobis ſepe magno commodo fuit, mœrori autẽ hoſtibus, ut hi quidem ex Græcis magno animi cruciatu cederent ſermones: ſeorſum paſtores apud Xanthi fluenta, metu perculſi ſub miricis deliteſcebant, graui ſe malo ſubſtrahere conati, ut quando lepores prępetẽ aquilã denſos ſubeuntes ramos, formidant, quando acutũ clangorem ędens prope uolat, huc illuc alas tendens, ſic illi, alio alius, fuga dilapſi, metuerũt horrendum uirum, & tandem prope mactatum agnum conſiſtens, & pernicioſo riſu ſolutus, tali oratione alloquitur, Iaceto nunc in pulueribus, canibus aut alitibus papulũ, nec te, ne Achillis quidẽ præclara arma manibus eripient meis, quorum cauſa magna inſipientia tranſuerſum actus, cũ multo prę-ſtantiori uiro certamẽ ſuſcepiſti. Iace canis, nec te certe difflebit circumfuſa uxor cum filio, intolerando affecta dolore, nec parẽtes quibus non conuerſaberis amplius, in ſpem arrectus fore, ut eorum ſenectutem foueas, quia nunc te procul à patria collapſum, aues & canes dilacerabunt. Sic certe dixit, exiſtimans uerſipellem Vlyſſem cum interfectis iacere, multo pollutũ ſanguine, & tũ illi Mi

ner ua,

nerua, oculis & menti diſcuſſit inſaniã, horridam ſpirantem perniciẽ, quæ ſtatim ſe recepit ad triſtia ſtygis fluenta, ubi acres habitant Furię, perfidis mortalibus immittentes cruciatus. Porro Aiax ut uidit oues humi palpitantes, magna eſt admiratione concitatus, incidit enim illi ſuſpitio, id ſibi deorum ira immiſſum, omnibus uero mẽbris debilitabatur, magno animo doloribus deiecto, ac prę indignatione, nec referre nec proferre pedem potuit, ſed ſtetit rupi ſimilis, quæ in montibus omnium altiſſimè radices egit, at cum illi iterum colligeretur animus, triſtibus ductis ſuſpirijs, in hæc uerba prorupit, Me miſerum, cur tanto apud immortales odio flagro, qui me mente mulctarunt, ac mala indita rabie, impulerunt, ut oues mactarẽ, quæ mihi minime fuerint culpandæ? Vtinam meis manibus de Vlyſſe pœnas ſumere liceret, quia me magna noxa affecit: nam cum tantum mihi attulerit cruciatũ, uiciſſim animo dolores ſufferret, quoſcunque meditari ſolent Furię ſceleratis hominibus, & alijs Gręcis pernicioſas pugnas moueret, & magnos luctus, imprimis Agamennoni, nec ille ſine magna noxa, domũ repeteret, quàmuis id impenſius cupiat, ſed quid ego tanta

tanta uirtute conſpicuus, malis uiris conuerſor. Valeat Græcorũ pernicioſus exercitus, ualeat uita hæc, non diutius toleranda, non enim præſtanti uiro præmium defertur, ſed deterior honore gratiaq́ꝫ floret, ſiquidẽ Vlyſſes magnifice iam apud Græcos effertur, & facinora quæcunq; illorũ gratia perpetraui, & labores quos ſubij, illis in obliuionẽ uenerunt. Sic dicens præſtans Telamonis filius, Hectoreũ enſem per iugulũ egit, ſanguis autem ebulliens ſtrepitum ędebat, ipſe uero in pulueribus porrectim ſternebatur, ut Typhon Iouis fulmine incenſus, at illo labãte, terra circũcirca magno gemitu miſcebatur, & tũ Græci aderant frequentes, ut uidebant proſtratum in pulueribus: nam antea nemo eo tuliſſet pedem, quia omnes illum intuentes, magno erant metu perciti, ſed interfecto ſtatim circumfundebantur, & porrecto capite, proni denſis illũ cuneis obſtipabant, ijsq́ꝫ in fletum prorumpentibus, ploratus ęthera feriebat, nõ ſecus, atq; cum uiri lanigeris ouibus agnos ſubducunt, ut eos conuiuio mactent, at matres frequẽti balatu teſtantur, magnã ſibi iniectã perturbationẽ, quia ſtabula ſuis prolibus ſpoliant̃, ſic illo die totis caſtris magnus gemitus oriebat̃, reſonuit autẽ im-

mensum

Digitized by Google

mēſum opaca Ida, & cāpus, & naues & mare magnū. Porro Teucer illū circūſiſtēs, ſibi manus adferre meditabať, at alij illi enſem ademerunt. Cęterum ut orphanus apud focū cinere aſperſis humeris, multo maxime deplorat ſe ad miſeram orphanorū conditionem redactū, matre extincta, quæ illum patris neſcium educebat: ſic Teucer, fratre cęſo, plorabat, obreptans circa cadauer, & hæc plorando reddebat, Aiax magnanime, quid tibi mentem læſit, ut tibi ipſi mortē & damnum conſciſceres? an ut Troiani à calamitate reſpirent, & Græcis exitio ueniant, te interfecto? nam illis perditis nō tanta erit in bello fiducia, ut antea: nonne tu omnē cladē propulſaſti? nec mihi ullus cordi eſt reditus, te hic extincto, ſed me quoque periturum exiſtimo, ut terra mortalium nutrix, communi nos tumulo tegat: nō enim tanta me tangit parentum cura, ſi adhuc ſint ſuperſtites, & imperio teneant Salamina, quanta tui iam fato functi, quoniam tu mihi ſolus ſplendori fuiſti, Sic quiritabatur, alta ducens ſuſpiria, deinde etiā gemebat diua Tecmeſa prçſtantis Aiacis uxor, quam licet præda abactam, ſibi connubio iunxit, & omnium reginam conſtituit, quibus per domum imperant

rant

Digitized by Google

rant dotatę uxores, cum ſuis maritis ſibi illi bata caſtitate iunctis, quę indefeſſo illius amplexu compreſſa, peperit Euryſacem prorſus patri ſimilē, ſed hic paruus adhuc, in thalamo relict⁹ erat, at illa ualde plorabat, apud dilectum cadauer, ſe proſternens, humum pulſando formoſum corpus defœdans, & hæc plorādo dixit, intus magno dolore excarnificata, Me miſeram quoniam occidiſti, haud ſane in prælio, hoſtili manu oppreſſus, ſed à te ipſo, quare me tantus inuadit luctus, ut nulla unq̄ obliuio delere poſſet, nec exiſtimabā fore, ut te extincto, Troiæ cū lachrymis uitā per omnia extrema traherem, at omnia hęc mala, malorum mihi manibus obiecta ſunt, utinā factū fuiſſet, ut mihi antea terra dehiſceret, q̄ triſte tuū fatū cernerem, nec mihi certe aliud unq̄ deteſtabilius malū in mentem uenire potuiſſet, nō quando me primum procul à mea patria & parentibus auulſiſti, cum aliȷs multis pręda abactis, magno me ploratu afflictantē, quoniā me prius reginam quàmuis uenerandā, ſeruilis conditio abripuit, ſed non tanta ſolicitudine concuſſeratm eum animū, nec charę patrię, nec parentū perditio, quanta tuum exitiū, quia mihi miſerę omnia ex animi ſententia medi

L tabaris,

Digitized by Google

tabaris, & concordi me tibi connubio iunxiſti, & ſtatuiſti me efficere opulentæ Salaminos reginam, ſtatim atque ab expeditione Troica in patriam redux fieres, ſed hæc dij nobis inuiderunt, nam ex hominum memoria deletus perijſti, nec te mei cura tãgit, nec filij quoq;, qui non oblectabit patri animũ, nec tuum dominatum aſſequetur, ſed alij illum triſti ſeruitutis iugo ſubijcient, nam patre è medio ſublato, filij curãtur à uiris multo deterioribus, ſiquidem grauis eſt uiuendi ratio, omnibus, in miſero orphanorũ ſtatu, & alia aliunde damna conflantur, & certe te iam perdito, ſeruitutis iugum noſtris fortaſſis ceruicibus imponetur, quod tu mihi, ut deus quiſpiam fabricatus es. Sic loquentem interpellat amico animo Agamennon, Nemo te, ô mulier, aut Teucro ſuperſtite, aut me ipſo, in ſeruitutem rediget, ſed te ſemper infinitis honoribus cumulabimus, nõ ſecus ac deam aliquã, deinde & tuũ quoq; filium, perinde ac ſi adhuc in uiuis eſſet diuinus Aiax, qui Græcorum robur fuit, ac utinam nõ hoc uniuerſam Grçciam luctu affeciſſet, ipſe proprijs domitus manibus, non certe illum immenſæ hoſtium phalanges infeſto prçlio potuiſſent opprimere: ſic dixit, magnũ ani-

mo

mo dolorem premens: populus autem circumquaq; miſeris modis gemebat, tota Helleſpontus miſcebatur ploratu, nam exitialis illos circumſtetit mœror, qui & ipſum conſultorem Vlyſſem inuaſit, ob illum interfectum, & animi ſe angens, tali oratione adorſus eſt dolentes Græcos, Heus amici, q̃ nihil eſt aliud inuenire pernicioſius iracũdia, mortalibus ſemper contentionẽ ferens, quę etiam nunc horrendum Aiacem exagitauit, in me accenſum: utinam mihi Troianorũ filij hanc de Achillis armis præclarã nõ detuliſſent uictoriam, cuius cauſa præſtans Telamonis filius, mœrenti animo ſibi mortem cõſciuit, at huius irę culpa in me non eſt deriuanda, ſed in triſte, quod illum domuit, fatum: nam ſi mihi unq̃ præſagijſſet animus, illum mente captũ iri, nunquam cum eo in certamen deſcendiſſem, neque quenquam Troianorum certandi cupidine adductum, permiſiſſem, ſed ego ipſe diuinis hiſce armis lubens ceſſiſſem, etſi quid aliud ſibi ſtudio habuiſſet, at nunc ego nõ inducebam in animum fore, ut præ dolore durius in ſe conſuleret, cũ quippe non ſuſceperim cum eo certamen, aut de cõiuge, aut de urbe potiunda, nec de magna opulentia, ſed de uirtute uerè

Vlyſſes etiã dolet ob Aiacẽ cęſum

 fuit

fuit contentio, quę ueris ſapientibus uolupe ſemper eſſe debet, at cũ fuerit uir præſtans, tamen triſti fato actus, mente excidit: non enim decorum fuit illum tantas animo iras concipere, ſiquidem eſt prudentis uiri, multos ingruentes cruciatus forti pectore tolerare, nec animo deijci. Sic dicendi finẽ fecit pręclarus Vlyſſes: ſed cũ ploratus & grauis luctus ſatietas cepiſſet omnes, tum Neſtor adhuc mœrentes alloquiť, Quàm certe crudeliter in nos cõſulentes Parcæ, luctũ luctu cumularint, nempe extinctis & Aiace & forti Achille, alijsq; Græcis, & noſtro quoque filio Antilocho, ſed eſt præter decorũ, cęſos in prælio ſemper deflere, & in animo indignari, proinde effrenem hunc luctum ex animis ueſtris deleat obliuio, nam ſatius eſt ea exequi, quæ par eſt mortuis præſtari, nempe pyram & tumulũ, & omnium oſſibus iuſta facere, ſiquidem mortuus non reducitur in uitã ploratu, nec mente uti nouit, ſimulac eum triſtia fata circundederunt. Sic dixit, illos ſolatio erigere conatus, at diui reges ſtatim frequentes aderant, magnum animo dolorem prementes, & illum magna licet corporis mole, ſublatum, ad naues extulerunt, & ueſte cooperiebant, abſterſo ſanguine,
qui

qui puluere & armis cõcretus horrida mem bra obducebat, & tum ab Ideis mõtibus iuuenes magnam lignorum uim aggeſſerunt, quacunq; autem cadauer circumuoluebant, & multis obſtiparunt lignis, deinde & ouibus & elegãtibus tunicis, & eximijs bobus, & pernicibus equis, & ſplẽdido auro, & infinitis uirorum armis, quæ antea in prælio cęſis, diripuerat uir ſplẽdidus, addiderũt quoque electrum pellucidum, quod aiunt filiarum omnia colluſtrãtis ſolis eſſe lachrymã, quam ob interfectum Phaëtonta, fuderunt plorantes, iuxta magnum Erydani fluxum. Porro Sol filio ſuo præmium, corruptioni minime obnoxiũ parans, hanc in electrum mutauit, haud parui momenti poſſeſſionem mortalibus. Cæterum Græci præclarum uirum collapſum magno honore afficiẽtes, latæ pyræ iniecerunt, & magnũ cientes ploratum circumpoſuerunt, & præcioſum ebur & argentum lucidum, deinde & amphoras unguento plenas, aliáq; omnia illuſtria, quæ felicitatem cumulatim cõferre ſolent, & ualidum ignem ſubiecerunt, cui flatus ex mari incubuit, quem præmiſit dea Thetis, ut Aiax concremaretur, at ille noctem & diem urgente uento ardebat, iuxta naues, qualis

Aiacis corpus crematur.

Digitized by Google

antea Enceladus ſonoro Iouis fulmine traie ctus, apud turbulentum mare in Sycilia, exi tialis autem inſula intumeſcebat, aut ut Her cules uiuos artus in ignem dedit prȩcipites, Neſſi dolis circumuentus quando rem ma- gnam eſt aggreſſus, tota autē Oete circum- gemebat, illo uiuo concremato, animus au- tem in cœlitū numerū referebatur, eximiū uirum linquens, corpus uero humo conde- batur, talis in igni iacebat Aiax cum armis, pugnæ oblitus, magna hominum caterua in littoribus gemebat: Troiani certe gaudia a- gitabant, Græci uero doloribus ſe macera- bant, ſed ubi prȩſtans corpus, uis ignis cōſe ciſſet, tum pyram uino extinxerunt, & eius oſſa impoſuerunt urnæ aureæ, & magnā ter ræ uim illi circumfuderunt, non procul à lit tore Rhetȩo, tum ſtatim ad ueloces naues di lapſi, ſe animi angebant: non enim minori il lum honore habuerunt, quàm ipſum Achil lem, deinde atra nox irruit mortalibus, ſom num adducens, hi autem corpora curare iuſ ſi, Auroram expectabant, parum dormitan tes, nā magnus erat iniectus terror, ne Tro- iani noctu in caſtra irruptionē facerent, Aia ce defuncto.

Quinti libri finis.

Digitized by Google

IN SEXTVM LIbrum argumentum.

MEnelaus Græcorum conſilium cogit, & ut expiſcaretur, quonam animo ferrent, bellū hoc tam diu trahi, ſuadet, ut ſoluta obſidione, patriam repetant, cui ſtatim reclamatum eſt à Diomede, nam is aſſerebat, non paſſurum ſe eſſe, ut quiſquam, niſi euerſa Troia, de reditu cogitet. Porro Troianis ſubſidio uenit Eurypilus, qui magna publica lætitia acceptus, ad Paridem diuortitur, & poſtridie magno impetu in hoſtes inuectus, multos ſternit exitio, & ex præcipuis Nereũ ac Machaonem: & deniq; tanto furore graſſatur, equos ſimul & uiros obterẽs, ut Græci metu perculſi, naues effuſa fuga petierint. Et niſi Agamennon, & Menelaus, & Oileus Aiax obſtitiſſent, in ipſas naues aſſultum feciſſet, at ne hi quidem ipſi potuiſſent, Eurypili impetũ diutius ſuſtinere, niſi nox prælium diremiſſet.

QVINTI CALABRI DERELICTOrum ab Homero, liber ſextus.

CAeterum Aurora Oceani fluxum & Thitoni lectum linquens, in magnum cœlũ proceſſit, & quacunque ſpergebatur ſplendida, terra autem & æther enitefcere inceperunt, at facile pereuntes mortales, ad opus ſe uertebant, alij autẽ alijs manum admoliebantur, ſed Græci effuſo curſu forum petebant, Menelao quippe cogente conſilium. Cum igitur omnes totis caſtris in unũ coijſſent, tum hęc in medium propoſuit Menelaus, Arrigite, inquiens, aures ad mea dicta, uos alto Iouis ſanguine nati reges, nam magno mihi cruciatu excarnificatur pectus, populo pereunte, qui mea cauſa in hanc grauẽ pugnã deſcendit, quos nec domus nec parentes ſuſcipient reduces, nã multos comminuit fatum, utinam intoleranda uis mortis, in me ingruiſſet, anteq̃ hunc exercitum contraxiſſem, nunc uero continuos animo meo dolores indidit dęmon, ut

uideam

uideam mala multa: nam quis unquàm ulla poſſet diffundi lætitia, cernens inextricabile hoc bellum, tam diu trahi, ſed agedũ quicunq; adhuc in nauibus ſumus ſuperſtites, ſubita nos fuga ad ſuam quiſque patriam corripiamus, extinctis quippe & Aiace & forti Achille, nam hiſce cæſis, non perſuadeo mihi, poſſe nos exitio ſubducere, ſed ab infeſtis Troianis domandos, & mea & propudioſæ Helenæ cauſa, cuius nõ tantam habeo rationẽ, ut ueſtri, quando uideo prælio uos cędi: ualeat igitur illa, cum effœminatiſſimo ſuo marito, nam illi dæmon omnem ademit prudentiam, cum primum meam domũ & lectum deſeruit, ſed quę ad eam ſpectent: curæ ſibi Priamus & cæteri Troiani habeant, nos uero ſtatim ad reditũ accingamur, nam multo ſatius eſt triſte belllum fugere, quàm perire. Sic dixit, Græcos tentans, ſed zelotypo ſuo animo uerſabat, quo pacto Troianos exitio daret, & longos urbis muros ab imo euerteret, idq́ adeo ut Martem ſatiaret ſanguine diui Alexandri, inter alios pereuntes collapſi, non eſt enim quicquam zelotypia infeſtius, & hæc quidem in animo ſecũ agitans, ſuo inſedit ſolio. Tum uero bellicoſus Diomedes in medium prodiuit, & ſtatim iur

gio adoritur Martium Menelaũ, Heus meticuloſe Atrei fili, quis tuum nunc animũ inuaſit metus, ut talia inter Græcos uerba fundites? ad pueri & fœminæ exemplum, quibus nullo eſt robore obfirmatũ pectus, ſed prꝯſtantiſſimi Grꝯcorum filij non erunt tibi morigeri, dũ Troiæ mœnia ſolo æquarint, nam audacia mortalibus gloriam conciliare ſolet, fuga autem probrum. Porro ſi quiſq̃ horum tuis ſe dictis morigerum prꝯbeat, ſtatim illi ferro caput præſecabo, & aërijs auibus projciam epulum: ſed agite, quibus ea incũbit cura, ut fortes uiros extimulent, uniuerſum ſtatim populum moueant ad naues, ut haſtas acuant, ad hæc efficiant, ut ſcuta & alia omnia ſint in procinctu, deinde corpora curent, tum uiri tum equi, qui in bellũ ſint propenſi, nam in cãpo ſtatim infeſtis ſignis concurretur. Vt dixit Diomedes, cõſidebat ubi antea. Tum Theſtoris filius in medium ſe ingerens, ubi fas eſt uerba facere, tali eos oratione compellat, Audite me chari bellicoſorum Græcorum filij, noſtis enim me uaticinandę artis haudquaq̃ imperitũ eſſe, iam olim uobis prædixi futurum, ut decimo demum anno Troiã caperetis, hoc certe nunc effectũ dabunt immortales, ſiquidẽ uictoria

ante

ante Græcorũ pedes eſt ſita, ſed agedũ able gemus nauigio bellicoſum Vlyſſem, ſimul cum Diomede, in Scyrũ, ut prę ſtantẽ Achil lis filiũ perſuadendo abducant, nam magno nobis omnibus ſplendori futurus eſt. Vt di xit Calchas prudens uates, circumquaq; po pulus fremitu animi gaudium promebat, quia ſpes eos habebat, uerum fore Calchan tis uaticiniũ: & tum Vlyſſes talem ad Græ- cos orationem habuit, Heus amici, haud æ- quum fuerit, hodie multis uobiſcum uerbis agere, nam properãtes laſſitudo inuaſit, nec me profecto latet oratorẽ nõ eſſe cordi defeſ ſis, nec cantorẽ quoq;, quẽ immortales dili- gunt Muſę, ſed breuitas orationẽ cõmendat apud id genus homines. Porro quantum ad rem pręſentem attineat, id quod toti Gręco rum exercitui placuit, & maxime cum Dio medes ſuum addat calculum, conficiamus. Nos duo igitur, bellicoſi Achillis pręſtantẽ filium huc ſiſtamus, uerbis in eã ſententiam adductum, ſi illum mater, magnas fundens querelas, detineat in ædibus, quia in ſpem ar recta eſt, illum forti patre natũ, bellicoſum fore filium. Sic loquentem interpellat pru- dens Menelaus, Id certe Vlyſſes, non pa- rum profuerit ſtrenuis iuuenibus, ſi magna- nimi

nimi Achillis filius è Scyro ſe huc conferat, ſi ſane deorum quiſpiam optatam nos uicto riam aſſequi, & in Græciam redire incolumes dederit, illi meam præclaram filiã Hermionem nuptum dabo, & prompto animo multa & beata munera cum ipſa, non certe puto, nec uxorem nec generum illi cum maiori ſuo commodo contingere poſſe. Sic dicentem Greci ſecundo applauſu proſequebantur. Tum ſoluta eſt concio, & populus per naues dilapſus eſt, cœnam cupiens, quę mortalibus uires ſuppeditat, at poſtq̃ exempta fames epulis, menſæq́ꝫ remotæ, tũ Diomedes & prudens Vlyſſes, nauem in mare deduxerunt, & ſtatim comeatu, & alijs, quæ uſui eſſe poſſunt, inſtruentes, ingreſſi ſunt, cum illis quoq; uiginti uiri remigandi haud imperiti, cũ aduerſis procellis laborare inciperent, aut cum ſpacioſum æquor ſterneret tranquillitas, at ubi iſti tranſtris cõſidiſſent, feriebant maris undas, & multa ebullijt ſpuma, & liquidæ conficiebantur uiæ, naui ruente, hi autem ſudore diſtillantes, remũ duxerunt, ut quando boues iugo preſſi, ligneũ currum ultra ſemper nitentes trahunt, axe, ob impoſitum onus, ſtridorem ędente, multus per ceruices & humeros ſudor utriſque

diſſluit

diffluit ad ſolum uſq;, ſic tum magnis remis laborabant iuuenes, & admodum celeriter ſulcabant mare, quos alij quidem Gręci ſpectabant euntes, acuebant autem infeſta tela, & haſtas quibus pugnam capeſcerent. Porro Troiani in urbe intrepidi ſe prompto animo ad prælium accingebant, alij dijs ſupplicatum ibant, ut ſtatim eripi, & à miſerijs reſpirare poſſent: hiſce igitur optantibus, dij magnum miſeriarum remedium miſerunt, Eurypilum fortis Herculis ſobolem, & multi rei bellicę periti, ſunt hunc ſequuti, quicunque accolunt obliqui Caici fluenta, ualidis freti haſtis: Troiani autẽ eum ſtipantes, magno gaudio perfundebantur, ut quando ſeptis incluſi anſeres, uirum uideant, qui pabulum obijcere conſueuit, abblandiuntur illi, at hic uidens, frontem exporrigit, ſic certe Troiani gauiſi ſunt, cum uidiſſent fortẽ Eurypilum, illius autem audentem animũ oblectabant conglomerantes ſe Troiani. Porro è ueſtibulis mulieres admirabantur diuinum uirum, at ille proceſſit omnes ſupermi nens, nõ ſecus, ac leo lupis intermiſtus, incidit in montibus, hunc autem Paris ſuſcepit, nec minori honore habuit, quàm ipſum Hectorem, erat enim illi conſobrinus, nam de

eadem

Digitized by Google

eadem ſtirpe ducebat genus, ſiquidem eum Priami ſoror Aſtyache peperit, cum ualido Telepho corpus miſcens, quem certe ipſum intrepido Herculi, clam ſuo patre peperit formoſa Auge, & illum infantem, ac lactis egentem enutriјt aliquando uelox cerua, ac eodem amplectebatur affectu, quo ſuũ hinnulũ, ubera illi ſummittens, idq́ʒ ex Iouis ſen tentia, non enim uidebatur ęquum eſſe Her culis ſobolem miſere perire: hunc igitur illuſtrem Herculis filium Paris promptiſſimo animo in ſuam domum deduxit, iuxta Aſaraci monumentum, prope altam Hecto ris aulam, ac ſacrum Mineruę templum, un de non procul ſitæ erant ſuæ ædes, & incor rupta Hercei Iouis ara, & illum de fratribus & affinibus & parentibus percunctabatur cupide, hic uero ad unũ omnia memorauit. Cęterum ambo cum ſermones conſererent ſimul euntes, uenerũt ad magnas & opulen tas ædes, ubi certe ſedebat diuina Helena, gratias forma referens, & circa illam morigeræ famulæ obſequio graſſabantur, alię ite rum aberant illuſtri thalamo, opus facientes, quod famulas par eſt, at Helena Eurypi lum intuita, ſtupore defigebatur, ille contra aſpiciens Helenã, & illi uerbis ultro citroq́ʒ

habitis,

habitis, obambulabant in odorifera domo, famuli autem duas ſedes prope reginam collocarunt, tum ſtatim conſedit Alexander, & iuxta hunc Eurypilus. Porro Græci ante urbem caſtra fixerunt, ubi præſtantes Troiani excubias egerunt, ſtatim autem arma humi collocarunt, & iuxta equos ſtatuebant, etiamnum ex miſero labore ducentes anhelitum, & præſepio indiderũt uelocibus equis pabulum, tum nox præcipitauit, & terra & æther tenebris obducebantur, at Troiæ ſub mœnibus altæ, & Cedei & Troiani cibum parabant, ac frequens oriebatur ſermo inter epulantes, & undique per caſtra ignes collucebant, reſonuerunt autem ſuaues fiſtulæ, & tibiæ ſtridulis aptatæ calamis, deinde & cytharæ ſuaues dederant ſonitus. Porro Græci ſeorſum magna perculſi erant admiratione, audientes & tibiarum & cytharæ ſonitum, tum etiam ipſorum tum equorum, & fiſtulæ quoq;, quę tam cõuiuio conuenit, q̃ paſtoribus, quare iuſſit ſuis quiſq; caſtris, pro nauibus alternis uicibus excubias agere, ne facta impreſſione, ſplendidi Troiani ignem nauibus iniiciant, qui tum pro altis mœnibus epulabantur, ſic quoque in ędibus Alexandri, bellicoſus Telephi filius, cum claris

regibus

Digitized by Google

regibus conuiuia agitabat. Porro Priamus & alij quoque Troiani, precibus ab illo contendebant, ut cum Græcis manus confereret, at ille huic rei fidem firmauit, deinde ſoluta cœna ad ſuam quiſq; domũ ſe recepit. Cæterum Eurypilus illic cubuit pauloinde in eleganti cubiculo, ubi antea quietẽ capere ſolitus erat prȩſtans Alexander, cum illuſtri ſua coniuge, nam illud cubiculum, mira quadam uenuſtate, cæteris omnibus præſtabat, quo ipſe cubitum conceſſit, alij uero aliud ſumebant, donec formoſa Aurora ſe terris oſtentare inciperet. Cȩterum Eurypilus prima luce è ſtratis corripuit corpus, & ad magnum exercitum contendit, cum alijs regibus, qui erant in Ilio: at populus ſtatim prompto animo in armis erat, omnes cupidi inter primos pugnam capeſcere: ſic quoque & Eurypilus magnis circũpoſuit membris arma, coruſco fulmini ſimilia, & magna diuino ſcuto aderant ornamenta, quæcunq; prius geſſiſſet fortis Hercules, inerant nempe duo dracones, horridis linguis ora lambentes, incedentibus nõ diſſimiles, horrido conatu, ſeſe exagitantes, at hic, quàmuis infans, eos aliunde alium domuit, & imperterrito animo ſubnixus erat, quia inde ab initio Iouem

Digitized by Google

Iouem uiribus repræſentauit: non eſt enim deorum immortalium robur enerue, ac irrito conatu excidens, ſed uires ei aderant infinitę, etiam cum materni uteri anguſtijs contineretur, deinde inerat quoq; Nemeus leo, ualidis fortis Herculis manibus oppreſſus, horridis autē genis cruenta ebullijt ſpuma, rugienti ſimilis: adhæc quoq; inſculpta erat hydra multis capitibus metuenda, horrende linguas uibrans, & alia ex triſtibus capitibus humi pręſecta iacebant, alia iterum ſup pullulaſcebant ex paucis admodum multa, negocium autem faceſſebant & Herculi, & audaci Iolao, quia magnis uterq; uiribus ſuffultus erat, hic quidē impetuoſe præſecuit ſanguinaria capita, falce incurua: ille uero candēte ferro aduſſit: ſic ualida illa fera cōſiciebatur: deinde inſculpta erat ſus indefeſſis uiribus, ac ſpumantibus genis, portabat autem illā quaſi ageretur uere Hercules ad Euriſtea: præterea cerua pedibus uelox, affabre erat facta, miſeris modis incolarū arua deuaſtans, & hanc quidem aureo cornu præſtans heros arripuit, unde pernicioſi ignis fulgor abſiſteret, circundabant autem triſtes hinnulæ, hæ quidem telis deiectæ in puluere expirarunt, aliæ autem fugæ me-

 mores

mores per aërem rapiebantur, at his, iracundia accenſus Hercules, aliud ac aliud telũ immiſit, admodum properanti ſimilis: deinde quoque inſculpſerat artifex, indefeſſum Augiæ ſtabulum, quod Hercules iuxta profundum Alphei fluxũ purgauerat: porro nymphæ circumfuſę mirabantur immenſum opus; adhæc erat taurus igniuomus, cui q̃uis eſſet inuictus, flexit tamen ualidum *cornu*, porro circa illum duo indefeſſi uituli impetum ſuſtinentes porrigebantur, at hic uiſus eſt mugitum emittere, dein in ambitu ſcuti elaborata erat Hippolyte, deas forma exprimens, quam Hercules comis arreptam ualidis manibus equo detraxit, cupiens illã eleganti baltheo ſpoliare; at ſeorſum ālię *Amazones* metu trepidabant; deinde etiam inerant triſtes Diomedis equi, humanas depaſcẽtes carnes in Thracia, quas quidem cum ſuo inhumano rege, in triſtibus præſepijs dilaniauit: inerat quoq; fortis Gerionis corpus, apud boues ſuos animum efflantis, cruenta autem capita illius in pulueribus fuſa erant, ualida claua domita, ante illum uero procubuit canis impetuoſis uiribus, omniũ perditiſſimus, triſti cerbero ſimilis, qui *illi* frater erat, & circumiacebat bubulcus Eury-

tion

tion multo pollutus ſanguine, circũ autem aurea fuerant mala, magno fulgore explendeſcentia, in intacta illa Heſperidũ arbore, ubi quoque horridus erat domitus draco. Porro aliæ aliunde magno iniecto terrore, forti Iouis filio terga uertebant: deinde quoque inerat Cerberus, qui ſuo aſpectu ipſis immortalibus magnum inĳceret formidinem, quem forti Typhoni uipera in horrido antro peperit, non procul ab atra nocte, circa pernicioſas triſtis Plutonis portas, cohibens mortuorũ turbam in tenebroſo barathro, ſed non magno illum negocio, plagis domuit Iouis filius, & per alta ſtygis fluenta inuitum abſtrahẽs duxit capitis grauedine laborantem, ad obliuionis locũ: deinde ſculptæ erant ſeorſum longæ caucaſi ualles & uincula Promethei, illinc cum ipſis petris, & membris abruptis diſſoluit magnum Titana: porro triſtis adiacebat aquila, acerbo tranſſixa telo: prætere a uiolenti centauri inſculpti erant circa poli aulã, quę monſtra cõtentioſa ebrietas ad pugnã cum Hercule capeſcendã excitauit, & hi quidẽ piceis circũpliciti iacebant, alĳ uero armorũ loco eas manibus tenebant, alĳ cõtrà magna animi promptitudine, longis pugnabãt abietibus,

Digitized by Google

nec pugnandi modum fecêre, omnium autem capita tabo diffluebant, perinde ac ſi uero prȩlio ſuccubuiſſent: deinde uino ſanguis miſcebatur, adhæc eſculenta omnia & crateres & politæ menſæ euertebantur: rurſus Neſſum prælio ſubtractum, iuxta Eueni fluxum, telo domuit, ob charam uxorem, illi ſuccenſens: deinde inſculptus erat etiam fortis Anteus, quem lucta ſecum commiſſum ualidis comminuit manibus in altum ſublatum: præterea iacebat ad Helleſponti oſtia inuſitatæ magnitudinis Balȩna, immitibus deiecta telis: deinde Eſionem malis diſſoluit uinculis: præterea & alia infinita fortis Herculis facinora complectebatur, magnum diui Eurypili ſcutũ, apparebat enim par Marti, cum in trãſuerſam aciem fertur: Troiani uero lætabundi eũ ſtipabant, ubi uidiſſent arma, & uirũ deos forma repræſentantem, quem Paris ad pugnam extimulans, cõpellat, Gaudeo te progredi, quoniam me ſpes cepit fore, ut Græci ad unum omnes miſeris modis pereãt cum ipſis nauibus, quia talem unquàm uirum, nec inter Græcos nec Troianos cõſpexi, ſed te precor per magnum & fortem Herculem, quẽ & magnitudine & uiribus & forma refers, ut illius memor,

mor, illoq́ꝫ digna cogitans fortiter oppreſ-
ſos Troianos cladibus aſſerere pergas, an
forte uſu uenire poſſet, ut reſpiremus, nam
perſuaſum habeo, te ſolū propulſare poſſe,
mala pereuntis urbis fata. Sic dixit illi ſtimu
los ſubdere conatus. At hic reſpondit in
hanc ſententiā, Magnanime Priami fili, qui
corporis forma proxime ad deos accedis,
hæc certe in deorum manu ſita ſunt, uiolen
to ne prælio ſuccūbas, an ſuperior euadas,
nos uero, ut par eſt, & totis uiribus pro ur-
bis incolumitate ſtabimus. Præterea & hac
lege meam tibi aſtringo fidē, non me prius
reuerſurum, quin aut ipſe cædem inter Græ
cos perpetrē, aut certæ morti occumbam:
ſic dixit fidenti pectore. Troiani autem ma
gno perfundebantur gaudio, tum conuoca
uit & Alexandrū & magnanimū Aeneam,
& pręſtantem Pulydamanta, & diuū Pāmo
na: præter hos autē & Deiphobū, & Aethi-
cum, qui ſupra omnes Paphlagones inſtru
ctus erat, ad turmę impreſſionem in pugna
ſuſtinendam: hos igitur colligit omnes rei
bellicę nō imperitos, ut inter anteſignanos
cum hoſtibus prælium ineant. Tum quàm
celerrime ſe ante turmam ferebat, & magna
animi promptitudine urbe egrediebatur,

Digitized by Google

ingens autem uis hominum ſequebatur, ut quãdo inclyta gens apum ſuos duces comitata, ex aluearijs, uerno tẽpore, proruit cum ſtrepitu, ſic uidelicet hos ad pugnam properantes ſequuti ſunt ciues; at multus fremitus cœlo ferebatur, tum ipſorũ, tum equorum, deinde & arma magnũ miſcebant ſonitum, ut quando magna uis uenti coorta, iactabundum mare ab imo euertat, fluctus autem cęrulei cum ſtrepitu ad littus ſe euoluentes, algam eijciunt eructante procella, fragor autem ad littora fertur, ſic iſtis ruentibus, admodum reſonat magna terra. Porro Græci ſeorſum ante mœnia effuſi Agamẽnona cingebant: populus autem clamorem ſuſtulit ſibi mutuo ad pernicioſum præliũ animum accendens & extimulans, ne metu perculſi apud naues deſiderent, pugnę ſe ſubtrahentes, Troianis igitur feruidis occurrerunt, ut uituli bobus, in denſis uirgultis, ad ſtabulũ properantibus ex uernis paſcuis per montem, ubi denſo gramine amiciuntur campi, & terra floribus abũde ſatis ſcatet, mulctra autẽ onerantur lacte tum bubulo tum ouillo, & creber hinc atque hinc mugitus cooritur, commiſtis pecoribus; at paſtor ob hęc magnum animo gaudium concipit, ſic illis

Digitized by Google

infeſtis ſignis concurrentibus, ſonitus oriebatur, horrendc enim utrimq; clamabatur, & in infinitum, pugnam traxerũt, tumultus autem uerſabatur in medio, cum pernicioſa cæde, tum committebantur ſcuta ſcutis, haſtæ haſtis, criſtæ criſtis, ferrũ autem circum quaque ignis in morẽ coruſcabat, inhorruit haſtis pugna, & terra undique ſanguine rigabatur, cadentibus quippe heroibus, cum equis qui curribus circũfundebãtur, hi quidem etiamnum palpitantes ſub haſtis, hi uero ſuperincidẽtes, triſtis autẽ clamor cœlo ferebatur, ferrea enim utrimque uerſabatur contentio, & hi quidem ſaxis intrepide pugnam inibant, alij uero mortiferis ſpiculis, aut telis, alij cõtrà aſcijs & ancipitibus ſecuribus & haſtis, quibus cominus res geritur, alius uero alia manibus arma tenebat. Porro Græci primum Troianorum phalanges loco parum mouerunt, hi contrà reſumpto impetu, in Græcos inuecti, Martem ſangui ne rigabant, inter quos Eurypilus atræ pro cellæ ſimilis, inferebat ſe omnibus, & ſtrenuè Græcos trucidauerat, nam illi ualde au xit uires Iupiter, gratificatus præclaro Her culi, & Nereum dijs parem uirum armis di micantẽ cum Troianis, procera haſta tranſ

fodit parum ſupra umbilicum, hic uero humi fundebatur, ac prȩclara arma rigabantur diffluenti ſanguine, & formæ ſplēdor, ſimul cũ florida coma polluebatur, iacebat enim in puluere & ſanguine, inter reliquos occiſos, ut floridus præcioſæ oliuæ ramus, quē uis amnis ſonoro fluxu auulſit cum ripis radicitus, per totam foſſam illam diſſipans, at hæc iacet floribus onuſta, ſic tunc præſtans Nerei corpus, & amabilis ſplendor per immenſum terræ ſolum effundebatur. Cæterum ob hunc occiſum, magnas efflabat glorias Eurypilus, inquiens, Iace nunc in pulueribus, quoniā miranda tua forma ne cupienti quidem prodeſſe potuit, ſed tibi uitā ademi, quàmuis te fuga ſubducere cupiebas, ſtolide nec perpendiſti te præſtantiori occurriſſe, ſiquidem forma non eſt in prælio conferenda fortitudini. Sic dicens, non magnopere contendit ſplendida arma mortuo detrahere: ſiquidem Machaon ira accenſus ob Nereum ſe obuium tulit, & parum abfuit, quin illum exitio dediſſet, nam triſtem haſtam in dextrũ humerum impegit, ebulliijt autem ſanguis, quàmuis multo robore ſuffultus eſſet, ſed ne ſic quidē ſubduxit ſe magno prælio, uerum ut leo aut aper in montibus

Eurypilus occidit Nereum.

Digitized by Google

tibus furit per medios, dum illum à quo pe tebatur domuerit, qui nempe primo infli- xo uulnere, turbæ ſe miſcuit, ſic animatus ir ruit in Machaonẽ, & illum è ueſtigio proce ra & ualida haſta læſit in dextro fœmore, qui tamen non ceſſit retro, nec irruentẽ de- clinauit, etiã ſanguine ebulliente, ſed ſtatim magnum ſublatũ ſaxum iaculatus eſt in ca- put magnanimi Eurypili, galea autem illũ à cęde & morte uindicauit, præpropre, & ma gna accenſus iracundia in fortem uirum Eu rypilus, & ingenti indignatione percitus, haſtam impulit per pectus Machaonis, quę certe ad ipſa præcordia penetrauit, corruit autem ut taurus leonis maxillis deiectus, & elegantia arma magnum circa membra ſtrepitum miſcebant. Porro Eurypilus triſtem haſtam ex uulnerato corpore edu- xit, & magnifice ſeſe efferens, inquit, O mi- ſer, nõ fuit tibi certe pectus magna exorna tum prudentia, qui nihili uir cũ fueris, mul to pręſtãtiori nõ dubitaſti occurrere, quare etiam malum fatum ſortitus es, ſed nunc id hinc commodi referes, quod cum in pręlio cecideris, tuas carnes alites dilaniabunt: an te ſpes habebat futurum, ut reuerteris inco lumis, & meis te uiribus ac manibus ſubtra

heres, medicus es fateor, ac diuerſa noſti pharmaca, quibus dolores mitigari ſolent, & his fretus ſperaſti futurum, ut malā diem declinares, ſed ne ipſe quidem tuus pater ab aërio olympo, te à morte immunē ſeruabit, non ſi tibi nectar & ambroſiam diffundat. Sic loquentem Machaon adhuc parum ſpi rans cōpellat, Eurypile non eſt in fatis tuis, ut longo adhuc tempore uitam ducas, ſed prope aſſiſtit tibi pernicioſum fatū, in cam po Troico, ubi nunc adeo ſæuias. Sic dicen tem deſtituit animus, & ad inferos uſque pe netrauit. Porro iam mortuū compellat uir præclarus, Tu quidē nunc in terra iaces, at ego de his quæ in poſterū fient, non admo dum laboro, etſi ante pedes hodie triſte ſit exitium: nō eſt enim ita comparatum cum mortalibus, ut ſemper uiuant, uerum omni bus imminet fatum: ſic dicens uulnerauit mortuū. At Teucer magnū ſuſtulit clamo- rem, ut uidit in puluere proſtratū Machao nem, nam haud procul ab eo cōſtiterat, ma gnum exhauriens laborem, non enim erat certamen motum inter medios, ſed alius in alium irruit, at ne ſic quidem neglectui ha- buit egregium uirum Nerea, quē non pro- cul à ſe deprehendit proſtratū, poſt diuum

Machaonem

Digitized by Google

Machaonem in pulueribus, ſtatim autē magno ſublato clamore imperauit, Vim facite, inquit, Græci, nec locū date irruentibus hoſtibus: nam magno id nobis probro futurum eſt, ſi Troiani Machaonē ſimul cum diuo Nereo abſtractum, in urbē auferant: ſed agite, prompto animo in aduerſos hoſtes inuehamur, ut interfectos ſubducamus aut certe ipſi circa illos ſternamur, quia id honeſtas poſtulat, ut qui uiri uocabulo glorientur, ſuos à cōtumelia uindicent, nec patiantur in aliorum poteſtatem redigi, non enim ſine ſudore uiri gloriam aſſequuntur. Sic dicens ægretudinē iniecit Græcorū animis: nam inter illos multi ſuo ſanguine terrā tingebant, Marte domiti, quippe utrimq; pugna ualida coorta, nam æquo Marte certabatur. ſero autem triſtem fratris in puluere deiecti cędem intellexit Podalyrius, quia in nauibus deſidebat uulnera haſtis illiſa curans, induit autem omnia arma, ob fratrem, ira percitus, & robur ſuppeditabatur horrido pectori, magna animi promptitudine ad triſte prælium accenſo, nam ater illi ſanguis circum præcordia abunde efferbuit, è ueſtigio autem in hoſtem irruit, acuta iacula uibrans, agilibus manibus, & inuaſit repente

diuum

Digitized by Google

diuum Agameſtoris filium, quem inclytum formoſa peperit nympha, ad Parthemi undas, qui humum perfluit, ut Elaſus in Euxinum Pontũ, uitreas ſuas undas profundit, & alium ex hoſtibus iuxta fratrẽ fudit, Laſſum nomine, quẽ diuinum uirũ Pronoe peperit ad undas nymphei fluminis, nõ procul à magno antro, antro, inquam, admirando, quod fama fert nymphis eſſe ſacrũ, quę longis Paphlagonum montibus accolunt, quæq; habitant uuis fertilem Heracliã, nec certe id antrũ deos dedecere uidetur, quoniam ſaxo exciſum in immenſum protenditur, deinde frigida per ſpecũ aqua dimanat, cryſtallum referens colore, at in antri receſſibus ubiq; cernere eſt crateras lapideas in aſperis petris quæ iuniorum manibus factę uidentur, circa ipſas iuuenes ſimul, & amabiles nymphę, & telæ & fuſi, & alia quęcunque artificialia inſtrumẽta ſunt mortalibus, quę admirationi ſunt in ſacrum hunc receſſum penetrantibus, in quo duo ſunt deſcenſus, & duo quoq; regreſſus, quorũ hic quidem ad ſonorũ Boreã porrigitur, hic uero obijcitur flatui humectãtis noti, qua iter eſt mortalibus ad deorum ſpecum, alter uero deorum eſt aditus, nec illum facile calcant

uiri,

uiri, quia magna uoragine interrumpitur, uſq; ad magnanimi Plutonis barathra, ſed hęc intueri extra deos fas eſt nemini. Cũ igitur circa Machaonem, aut Aglæes ſplendidum filium, utrimq; pugna ferueret, multa hominum turba exitio dabatur, at ſero tandem Græci ſuos extraxerunt, magno prius exhauſto labore, & ſtatim ad ſuas naues tulerunt eos ſocij, nam pluribus pernicioſa triſtis huius prælij calamitas, impendebat, in labore tamen, neceſſitate urgente, perſiſtebant, ſed cum bene multi in ſanguinario & triſti tumultu atra expleſſent fata, tum certe multi Græcorum naues fuga petebant, in quos Eurypilus magnam fecit impreſſionẽ, fluctum uoluens. Pauci autem cum Aiace, & fortibus Atrei filijs, pugnæ procellam ſuſtinuerunt, & certe omnes in hac turba uerſantes, hoſtium manibus cecidiſſent, niſi Oileus Aiax prudentẽ Pulydamanta haſta ferijſſet, ad ſiniſtrum humerum, non procul à ſiniſtra papilla, nam ſanguis effundebatur, tum uero parum retroceſſit, deinde præclarus Menelaus Deiphobo inflixit uulnus, ad dextram papillam, uerum hic uelocibus pedibus ſaluti conſuluit, præterea diuus Agamennon magnum numerũ deleuit, ex pernicioſa

Græci ad naues compelluntur ab Eurypilo.

Digitized by Google

niciosa multitudine,deinde ad Ethicũ diuinum uirum ſe cõtulit,haſta furens, at hic ſociorũ turmis ſe miſcuit, quos cũ Eurypilus, unicũ Troici exercitus columẽ terga uertere animaduertiſſet, ſtatim omiſſo populo, quem ad naues propulſauit,ſe recepit ad fortes Atrei filios,& ualidum Oilei filium, qui quidem pedũ celeritate pręſtitit,at pugnandi peritia anteiuit omnes,ad hos igitur ſe uelociter recepit,manu tenens proceram haſtam. Tum Paris & magnanimus Aeneas ſe illi comites addiderunt, at hic ſtatim in Aiacis ualidã galeam iaculabatur magnum ſaxum, qui in puluere proſtratus animã tamen non efflauit, quia ſua fata ferebant, ut in reditu circa petras Caphyrides mortem oppeteret,illum igitur ſublatũ bellicoſi miniſtri ad Græcorũ naues portabant, parum adhuc ſpirantem. Cæterum Atridæ præclari reges, tum deſerti erant & pernicioſa cingebantur turba, iaculantium utrimq; quicquid manibus ſe obtulit,nam hi triſtia emittebant tela,alij uero ſaxa,alij iterum ſpicula. Cæterum Atridæ in medio conſtituti uoluebantur,perinde ac ſues aut leones in medio ſepto, cum reges cœtũ contrahunt & ſe male torquent triſte ſtruentes exitiũ ualidis

dis feris, at hę in ſepto deprehenſę famulos dilaniant, quicunq; pedem inferre audeant. Sic illi in medio impetuoſe dilaniabant hoſtes, at ne ſic quidē fugæ ſuppeditaſſent uires, licet id cupierint, niſi Teucer & magnanimus Idomeneus & Meriones, ac Thraſymedes deo ſimilis, illis prę ſto fuiſſent, nam antea exhorrentes temerarium Eurypili robur, fuga naues petierunt, magnū declinantes malum, ni igitur metuentes Atridis ſuppetias uenisſent contra Eurypilum, memorabilis eo die pugna ædita fuiſſet: hic igitur Aeneæ ſcuto haſtam infixit præſtans Teucer, ſed nō perſtrinxit pulchram cutē, nam depulit illi perniciē, magnum ſcutū triplici bouis corio obductū, uerū ſic metu percul ſus, ſe parū retro tulit, tum Meriones inuectus in pręſtātē Laophoontē Pœonis filiū, quē formoſa Cleonede genuit, ad Axij undas, uenerat autē ad ſacrū Iliū, præſtāti Aſteropęo comes, Troianis opitulaturus, quem hic Meriones ſupra uerēda pupugit, horrenda haſta, at cuſpis cōfeſtim illi inteſtina eduxit, & q̄ celerrime eius animus ad tenebroſa tartari loca cōceſſit. Cęterū Alcimedes bellicoſus Aiacis amicus iaculatus eſt in fortium Troianorū agmen, nam precatus funda tor

ſit

ſit horrendum ſaxum, in grauem hoſtiũ pugnam, uiri autem tremore concutiebantur, percipientes ſtridorem, ſimul & ſaxũ procedere, at perniciosum fatum id tulit ad Hippaſidem audacem Pãmonis aurigam: hunc igitur habenas manu tenentem ferijt ad uerticem, & ſubito è curru egit præcipitẽ, ante ſuam rotam, at uelox currus miſerabile collapſi corpus rotarum ferramentis diſtorſit, equis retro nitentibus, & repente ille difficili obitu extingebatur, & ſcuticã & habenas miſſas faciens. Pãmonem uero magnus corripuit luctus, nam neceſſitate adactus utrũq; debebat eſſe, & rex, & uelocis currus moderator, & certe iam illi fatum, & poſtremus uitæ dies adfuiſſet, niſi Troianorũ quiſpiam in cruenta pugna habenas manu ſuſcepiſſet, & ab interitu uindicaſſet regẽ, iamiam perniciosis hoſtium manibus oppreſſum, deinde impetuoſus Neſtoris filius, haſta ferijt ſuper genu, Antium indefeſſum uirũ in aduerſum agmen inuectũ, pernicioſo autem uulnere horrendos ſubijt dolores, & prælio ſe extulit, ſocijs in lugubri hac turba relictis, nam prælium non amplius ei curæ fuerat, & tũ præclari Eurypili famulus ferijt Thoantis amicum Echemmona paulo infra humerum

merũ, at triſtis illi haſta cor penetrauit, cum ſanguine autem frigidus illi ſudor membris diffluxit, & illum uolutãdo ſe retroferre conatum corripuit ualidus Eurypilus, & prę-ſecuit neruos, pedes autem inuiti manebãt, ubi illum ferijt, tum ſtatim mortẽ oppetijt. Porro Thoas impetuoſe impetijt haſta Paridem iuxta dextrum humerũ, at ille parum retroceſſit allaturus celeres arcus, qui illi à tergo relicti erant, Idomeneus autẽ omnibus ex promptis uiribus, ſaxum manibus ſublatum torquebat in Eurypili brachium, tum huius pernicioſa haſta humi defluxit, & ſtatim ſe retro tulit, ut ferret haſtam, nam quam habebat antea manu eiaculatus erat. Porro Atridę nõnihil ſe colligebant à prę-lio: hunc autẽ ſubito famuli adierunt haſtã ferentes longam & infractam, quæ multorum diſſoluit genua, qua arrepta ille in hoſtes inuectus eſt robore graſſat⁹, & proſternens in quẽcunq; incideret, magnam hominum uim orco dimiſit, hic nec Atridę, nec quiſquam bellicoſorum Gręcorum alius locum tueri potuit, omnes enim magnus corripuit terror, nã irruit omnibus perniciem ſtruens, & impetu graſſatus à tergo deiecit: deinde quoq; Troianis aç equeſtris pugnæ
N peritis

peritis amicis. Hiſce uerbis animum euibrare conabatur, agite amici, pari animi robore ſuffulti Græcos internitione cædere pergamus, qui nunc ouibus ſimiles ad ſuas ſe naues recipiunt, proinde omnes memores ſimus perniciosæ pugnæ, cuius à teneris annis nobis adfuit peritia. Vt dixit illi conglomerato agmine in Græcos impreſſionē fecerunt, hi autem magno iniecto terrore fuga ſe difficili pugnæ conabantur eripere, Troiani uero fugientium tergis inhæſerũt, ut canes ſtrenuis dentibus per longas cõualles & ſyluas, agreſtes hinnulos inſequũtur, & multos in puluerem fuderunt, omni animi promptitudine conatos effugere triſtes exitialis cædis minas, ſiquidem Eurypilus neci dedit præſtantem Bucolionem, & Neſum & Chromum & Antiphum, quorũ hi quidem inopes habitarunt Mycenas, at iſti Lacedemoniam, quos igitur interfecit, etſi fama gloriaq; floruerint: deinde de promiſcua multitudine ſuſtulit infinitas hominũ tribus, quas non ferunt uires, ut poſteritatis memoriæ prodam, etſi id impenſius cupiã, non ſi pectori ferreus ineſſet animus. Cæterum Aeneas Pheretem & Anthimachũ qui è Creta Idomeneo comites uenerant; dein

de

Digitized by Google

de diuus Agenor præſtantem Molum trucidauit, qui ab Argo uenit ſub rege Stenelo, quem è prę lio fugientem, à tergo deiecit ſpiculo recēs acuto, infra poſtremas dextrę tibiæ partes attingens, acies autem in aduerſum penetrans latum diſſecuit neruum, minuit ſane miſere uiri oſſa, mors autē cruciatui miſcebatur, nam ſtatim diem ſuū obijt. Tum paris in duos fratres nēpe Monyſuntem, & animoſum Phorcem, torſit telū, qui è Salamine nauibus Aiacis uenerant, nec reditu frui licuit, præter hos etiā Cleolaum pręſtantem Megetis famulum telo deiecit, ad dextram papillā, pernicioſa autem nox illi circumfundebatur, & animus à corpore auolauit, attamen eo domito intus in pectore cor celeriter agitatū, quaſſauit alatum telum, tum repente aliud emiſit iaculum in temerariū Eetionem, huius autem maxillam diuerberauit ferrum, tum ille ductis ſuſpirijs, lachrymas ſanguine miſcebat: dehinc alius alium mactauit, Græcis igitur turmatim in ſe mutuo ruentibus, magnus ingemuit campus, & tum certe Troiani, naues igni abſumpſiſſent, niſi nox obductis tenebris prælīū diremiſſet. Porro Eurypilus cū cęteris Troianis paulū à nauibus ſeceſſit Si

Digitized by Google

moentis ad undas, ubi magno affecti gaudio, caſtra metati ſunt. At Græci ploratu noctem ducebant, in harenas collapſi, magno animi cruciatu ſeſe afflictantes mortuorum cauſa, quia illic multos in pulueribus atrum occupauit fatum.

Sexti libri finis.

IN SEPTIMVM LIbrum argumentum.

GRæci Nereo & Machaoni iuſta faciunt, interim Podalyrium immenſo, ob fratrē Machaonem, luctu excarnificatū, ſolatur Neſtor, Tum Eurypilus, ſuos in aciem educens, magna ſtrage afficit Græcos, ita ut in fugam effuſi, munimentis ſe tueri cogerentur, & niſi Minerua Græcis fiduciam indidiſſet, naues omnes in ſuam poteſtatem redegiſſet Eurypilus. Interea Vlyſſes & Diomedes in Scyrum appulerunt, & inuenerunt Neoptolemū ante ſuas ędes, ſe iaculis exercentem, quem nō magno negocio impulerunt, ut conſcenſo nauigio, ad Troicam expeditionem comitaretur, matre licet diſſuadente. Atqui cū ad Græcorū caſtra penetraſſet, ſtatim in prælium deſcendens, Troianos depulit, & Eurypili impetum ſuſtinuit, ad noctem uſque.

Digitized by Google

QVINTI CALABRI DERELICTORUM AB HOMERO, LIBER ſeptimus.

CVM uero cœlum occultauit aſtra, & aurora magno ſplendore irradians, pulſis tenebris oriebatur, tum certe ex bellicoſis Græcis, hi quidem ante naues in ualidam cõtra Eurypilũ pugnam, prompto animo rapiebantur, alij item apud naues iuſta facere parabant & Machaoni & Nereo, qui formæ ſplendore immortales deos expreſſit, at uiribus non perinde pręſtitit, ſiquidem dij non omnia ſimul in mortales conferunt, ſed fit fato quodam, ut bonum uirum circumſtent mala, quemadmodum regi Nereo uſu uenit, ut amabilis ſplendor adiunctam ſibi haberet imbecillitatem, ſed Gręci haud ſane illum deſpicatum habebant, uerum ſepulchri ſolemnia exequebantur, non ſecus, ac diuo Machaoni, cui nõ minus detulerunt honoris, quàm ipſis dijs immortalibus, quoniam in promptu ſemper erant illi conſilia, ſed utroſq; eodem condebant

Nereus formoſus ſed non fortis.

bant ſepulchro,& tum in campo pernicioſa graſſabatur pugna,utrimq; enim magnus ſtrepitus & clamor tollebantur,ſcutis quippe & ſaxis & haſtis diruptis,& hi quidē lœthali prælio ſe defatigabant,at Podalyrius ſine ullo cibi uſu immotus iacebat in pulueribus,alta ducens ſuſpiria, nec potuit in obliuionem adduci fraternæ calamitatis, ſed in animo uerſabat crudeliter ſibi mortem conſciſcere,& nunc quidem enſi manum admoliebatur,tum iterum graue aliquod pharmacum ſibi inuentum dari cupiebat,amici autem cohibuerunt multis illum uerbis ſolantes,ſed non potuit mœrorē ex animo propulſare, & ſuis ſe manibus ad recens conditum fratris tumulũ trucidaſſet,niſi is rumor ad Neſtorē perlatus fuiſſet,qui minime neglectui habebat illum ſic excarnificari,nam offendit illum nunc quidē fuſum ad lachrymabilem tumulum,nunc uero caput cineribus conſpergentē, & ualidis manibus plangentem pectus, ac nomine uocantem ſuum fratrē, famuli quoq; cum amicis circa regē gemebant, mala certe incidit omnibus calamitas.Hic igitur illũ magno confuſum mœrore,blandis cōpellat uerbis,Inijcito mi fili frena crudeli labori,ac graui luctui:eſt enim

Neſtor conſolatur Podalyrium.

abſurdum

abſurdum prudentem uirum apud cadauer proſtratum, plorare ad fœminarum exemplum, nõ enim illum in lucem feceris reducem, quoniam anima in aëra diſparuit, corpus autem ſcorſum pernicioſus deuorauit ignis, & oſſa terra ſuo ſinu complectitur, & certe ut floruit, ſic perijt: feras igitur fortiter ut ego, ab hoſtibus extincto meo filio, qui Machaone non erat inferior, iaculandi quippe arte, & prudentia, iuxtà expolitus, nec quiſquam alius iuuenũ ſuum patrem tanto amore proſequebatur, quãto me ille, porro mea gratia cecidit, cupiens ſeruare ſuum patrem, at illo defuncto ſtatim cibum ſumere non dubitaui, & uiuus auroram intueri, non ignarus crudelem lœthi uiam omnibus calcandã, ac omnibus fixas eſſe acerbi fati metas: proinde par eſt ùt mortalis cum ſis omnia ſufferas, quæcunque uel bona uel mala deus dederit. Sic dixit Neſtor. Ille uero cũ magno animi cruciatu reſpondit, Nam triſtes adhuc efferueſcebãt lachrymæ, & ſplendidas rigabant genas, O pater intolerandus dolor meũ ſubegit pectus, ob prudentẽ fratrem, qui me ab ipſis incunabilis, educauit, in ſuis ulnis, ut ſuum filium, patre quippe in cœlum ſublato, & morbos curare ſyncere

Digitized by Google

docuit. Porro eodem cibo ac lecto oblecta bamur, communibus fructes facultatibus, quare infinitus meũ animũ inuadit luctus, nec illo extincto amplius ſuaui hac luce frui cupio. Vt dixit, ſenex iterum eum mœrentem compellat, Omnibus quidem mortalibus orbitate par malum dedit deus, nam & nos omnes terra occultabit, nec certe eodẽ uitæ curſu cõfecto, quem nec ſibi quiſq̃ ſperauerat, quia cœlitus bona & mala diuino nutu immittuntur, fato autem omnia fiunt, in unum coëuntia, & hæc quidem nullis hominum oculis patent, ſed de improuiſo adſunt, diuina caligine obducta, quibus ſolum fatum manus admolitur, & non uidens cœlo in terram demittit, hæc autẽ aliunde alio feruntur, ut uenti flatus, ita ut ſæpe in bonũ uirum magnum ingruat malũ, ac in malum incidat fœlicitas, haud quidẽ dedita opera, porro diuerſa eſt mortaliũ uita, quare etiam inoffenſo gradu nõ incedit, ſed pedibus ſæpe impingit, nam uaria rerum ſpecies eum uerſat, nunc quidem ad triſte malũ, iam iterum ad bonũ, nec quiſquam eſt mortalium ab omni parte beatus, ab ipſis uitæ carceribus ad metas uſque, alij autẽ alia ſortiuntur mala. Proinde cum tantis anguſtijs circum-

ſcripta

ſcripta ſit uita mortalium, nõ par eſt ut eam mœroribus tranſigamus, igitur ſpes meliorum ſemper foueat tuum animũ, nec triſtibus cor exedas, etenim ea fama inter mortales diſſeminata eſt, bonum quidẽ corruptioni nunq̃ eſſe expoſitum, ſed ad cœlum redire, malum uero, ad regnũ alta caligine merſum: uerũ utrumq; adfuit tuo fratri, & mortalibus admodum gratus erat, & immortali ortus ſtirpe: proinde, eum mihi perſuadeo, ueſtri patris monitis, in deorum numerum relatum eſſe. Sic dicens illum præter animi ſui ſententiam, humo leuauit, uerbis demulcens admodum graui hoc malo quaſſatum, & triſtia adhuc ducentem ſuſpiria, proinde uenerunt ad naues. Cęterum feruente prelio, Troiani & Gręci magno labore conflictabantur, Eurypilus autẽ truci animo Martem repræſentans, indefeſſis manibus, ac prompta haſta, deiecit hoſtiles turmas, cadaueribus uero premebatur terra utrimque proſtratis, at hic per cadauera graſſatus, pugnabat præſenti animo, nec pedibus ac manibus ſanguine imbutis, ſe ab rapido pręlio retrahere potuit, & fortem Peneleum haſta domuit crudeli pugna ſibi obuium, circum circa autem magnam ſtragem ædidit, nec

N v potuit

Digitized by Google

potuit manus cohibere, ſed ira exardeſcens inſtitit ſemper Græcis, non ſecus, atq; olim fortis Hercules, per lōga Pholoës iuga, magno robore furens, in centauros graſſatus eſt, quos ad unum omnes neci dedit, q̃uis magna pernicitate præditos, & ualidæ ac pernicioſæ pugnæ peritos: ſic ille facto impetu bellicoſorū Græcorum exercitū proſtrauit cumulatim, nam hi turmatim aliunde alius, dēſi in pulueribus cum ſtrepitu fundebantur, ut quando immenſo aliquo flumine inſultante ingentes ripæ utrimq; præſecantur in arenoſo loco, hic uero in maris undas fertur, horrēdo fluxu exæſtuans, omnia circumquaq; prȩrupta loca, ſonitu reſultant, & longi amnes fremunt, cum quippe alia ad alia ſemper corruant, nam omnia ſepta dant locum, ſic certe prȩclari bellicoſorum Græcorum filij multi graſſante Eurypilo, humi ſternebantur, quicunq; cruenta pugna in illum inciderent, hi demum quos pedum robur ſeruauit, fuga ſibi conſuluerunt, & ſic certe Peneleon ex triſti cōflictatione, ad ſuas naues eripuerunt, at qui pedum agilitate triſtia declinarūt fata, turmatim ſe intra naues corripuerūt, nec animo uires ſuppeditabant, ut cū Eurypilo armis diſceptaſ

ſent,

Digitized by Google

ſent, quia certe illis Hercules miſeram iniecit fugam, ſuũ effrenem nepotẽ admodum illuſtrem reddens, at hi metu perculſi intra munimenta ſe tenebant, ut capræ in montiũ iugis metuentes impetuoſum uentum, qui terras frigore perflans, magnã uim niuis, ac horridam grandinem effundit, hæ igitur quamuis ad paſcua properantes, haud rectà ad ipſum uentorum impetum, per colles caput exerunt, ſed dum uis procellarum deſæuijt cunctantur ſub tegmine, ac cõuallibus, cõglomeratęq; ſub opacis ramis paſcuntur turmatim, dum pernicioſi uentorum turbines cõſopiantur, ſic Græci ſuis ſe munimentis tenebant, impetuoſum Telephi filium irruentẽ formidantes, & daturus fuiſſet excidio cum populo ueloces naues, niſi Minerua audaciam Græcis inieciſſet, quamuis ſero, nã ſine intermiſſione ab alto munimento iaculantes, triſtibus telis denſos deiecerunt hoſtes, muri autem rigabantur atro tabo, interfectorũ uero gemitu omnia miſcebantur, hoc certe pacto noctem & diem traxerunt pugnam, prudentes Troiani, & bellicoſi Gręci, ſed cũ intolerandis modis pręlium ferbuiſſet, tũ ante naues, tum circa excelſa mœnia, tunc duos dies cædem & acer
bum

bum prælium remiſerunt, quia nuncius ue
nit Eurypilo regi, à Troianis, ut intermiſſo
prælio rogo darent interfectos, in cõflictu,
ille autẽ ſe morigerũ præbuit, & utrimq; ab
acerba pugna ceſſantes, mortuis iuſta fece-
runt, qui in puluere collapſi iacebãt. Porro
Græci omniũ maxime Peneleon plorabãt
& aggeſſerunt ei magnũ & excelſum tumu
lum, quod poſteritati poſſet eſſe cõſpicuũ,
tum promiſcuam aliorum heroum multitu
dinem, ſeorſim ſepultura affecerunt, magno
animum luctu dilaniantes, ſed eandem om
nibus pyram accumularunt & foſſam quo-
que, pari modo etiam Troiani ſeorſim ſuis
parentabant; nec ſic certe extinctus eſt per-
niciosæ pugnæ feruor, ſed ſtimulos ſubdidit
fortis Eurypilus, ut hoſtibus cõcurrerent,
nondum enim à nauibus ſeceſſit, ſed man-
ſit Græcis malam accendens cõtentionem.
Porro iſti curſu confecto, in Scyrum appu
lerũt, deprehenderunt autẽ Achillis filium,
ante ſuas ædes, nunc quidẽ ſe telis & haſtis,
nunc iterum uelocibus equis exercitantem,
animo gauiſi ſunt uidẽtes illum effrenis bel
li ſtudijs diſtringi, quamuis maxime angere
tur animi, ob interfectum patrem, nam id
antea reſciuerat, & admiratione perciti, ſe il
li

li ſtatim ferebant obuiam, quia cernebant illum corporis forma fortē Achillem exprimere, at præuertens ille, tali eos oratione compellat, inquiens, Etiam atque etiam ſaluete hoſpites, quicunq; ad meas ædes conceditis, dicite unde & quinam eſtis, aut qua in re operam noſtrā requirentes, per iactabundum mare huc uos recipitis: ſic inquit ſciſcitans. Reſpondit autem diuus Vlyſſes, Nos quidem magna neceſſitudinis copula circũuenti fuimus bellicoſo Achilli, unde te peperiſſe aiunt pudicā Deidamiam, & nos te illum uirũ forma repræſentare plane cognoſcimus, nam ille potentibus dijs ſimilis erat, at ego ſum ex Ithaca, hic autem ex Argo equis fertili, ſi tuas forte per aures bellicoſi Diomedis nomen ijt, aut Vlyſſis prudētis, qui iam tibi aſſiſto uaticinij cauſa, huc profectus. Proinde te noſtri miſericordia ſubeat, & ad Troiam te corripiens Græcis opem feras, ſic enim bellũ hoc confici poſſet, atq; infinitis te cumulabunt donis Græci, ego te ſane diuini tui patris armis donabo, quæ tibi ferenti magna explebunt animum uoluptate: non enim mortalia uidentur, ſed proxime ad dei Martis arma accedunt, ſiquidē magna uis auri aptata, illis ele

gantibus

gantibus armis, ingentem ornatum addit, unde & ipſe Vulcanus non paruam inter deos uoluptatem accepit, cum illa diuina arma fabricaretur, quæ tibi cernenti magnam cõcitabunt admirationem, quia terra, & aër & mare affabre facta ſunt circa ſcutum, nempe in infinito illo circulo, qui ſcutum ambit, cui & animalia inſculpta ſunt, mouentibus non diſſimilia, quæ & dijs ipſis admirationi ſunt, mortalium uero nemo unquam antea uidit, nec tulit niſi tuus pater, quem numinis loco coluerunt Græci, ego autem maximo prę cæteris amore, illũ proſecutus ſum, & eius interfecti cadauer ad naues extuli, magna prius inter hoſtes perpetrata ſtrage, quare mihi inclyta eius arma dono dedit diua Thetis, quæ tamen q̃uis chara habeam, tibi lubens dedero, ubi ad Ilium penetraueris, & certe Menelaus, ubi euerſa Troia, in patriam reduces fuerimus, ſtatim te ob hoc beneficium ſuum generum conſtituet, modo non recuſes ipſe, & ſimul cum formoſa ſua filia, infinitas poſſeſſiones & aurum auferre dabit, qualia par eſt, ut opulentum comitentur regem. Sic loquentem compellat fortis Achillis filius, Siquidem me uaticinijs

aduocent

aduocent Græci, cras ſtatim nauem conſcen damus, an aliquo pacto ſplendori eſſe poſſem cupidis Græcis, nunc uero noſtris tectis ſuccedamus, ac hoſpitalē petamus menſam, hoc matrimoniū poſtmodum dijs curæ fuerit: hæc dicens prę ijt, hi uero magno delibuti gaudio ſequebantur. Vbi autē magna tecta ſubijſſent, ac pulcherrimā aulam, deprehenderunt Deidamiam animi mœrore affectam ac tabeſcentem, nō ſecus, ac nix liqueſcit in mōtibus, flatu mollis Euri, & indefeſſi ſolis æſtu, ſic poſt ſplendidi ſui uiri caſum abſumebatur, & illam in mœrore ac ſqualore uerſantē, prę clari reges ſalutabant, filius autem propius ſe conferens, aperuit illi & genus & mores utriuſque, at cuius rei gratia ueniſſent, ſuppreſſit in poſteram uſque lucem, ne mœror lachrymabili cumularetur triſtitia, & illum toto animi impetu eo properantem magnis detineret precibus. Porro ſtatim cibo refecti, ſomno animū laxarunt omnes, qui maritimam habitarunt Scyrum, cui longi fluxus circumſonant, refracti ad Aegei maris littora, ſed Deidamia non ſoluitur in ſomnos, oculiſue aut pectore noctem accipit, animo uerſans, & uafri Vlyſſis, & diuini Diomedis nomen, nam hi

hi ambo illam orbarunt bellicoſo Achille, ſua oratione add icētes temerariū animum ut ad infeſtam pugnā ſe reciperet. Tum uero immotum occurrit fatum, quod illi redi tum præcidit, & in immenſum iniecit luctum, cum patrem Pelea, tum ipſam Deidamiam, quare ingēti capiebatur formidine, ne filio ad bellū ruente, ſibi luctus luctu cumularetur. Porro Aurora cœlo eniteſcente hi ſtatim è lectis ſe corripuerunt, quod ubi perpendit Deidamia, ſubito latis circumfuſa pectoribus, magno ſublato clamore, acerbe plorauit, perinde ac uacca in montibus magnum tollit mugitū, iuuencam ſuam quęrens, in uallibus, reſonant autem circumcirca longa ardui montis iuga, ſic eius ploratu miſcebātur ultimi altæ aulæ receſſus, ac magna percita indignatione filium compellat, Quę tibi, mi fili, uecordia mentem abſtulit, ut his te comitem addere cogites, ad lamentabile Ilium? ubi multi pernicioſo pręlio ceciderunt, quàmuis belli & acerbę pugnę peritia eſſent cōſpicui, & tu certe tenera adhuc ætate conſtitutus, rei bellicæ ignarus, quæ hominibus infortunium propulſare poſſet: at tu mihi morem gerito, & tuis te ædibus teneto, ne triſtis è Troia nūcius mihi aures

feriat

feriat, te prælio extinctum eſſe, non enim futurum puto, ut tu ex ea pugna incolumis ad nos reuertaris, ſiquidē tuus pater multo & tibi, & alijs heroibus præſtitit, dea quippe matre natus, tamen exitialē mortem effugere non potuit, ſed domitus eſt in prælio horum conſilijs & dolo, qui te quoque extimulabunt, ut ad lamentabile hoc prælium concedas. Proinde maximo animus metu concutit̄, ne te quoq;, mi fili, extincto, futurū ſit, ut orba relicta, in acerba incidam mala, nullus enim pernicioſior dolor fœminam poſſet corripere, quàm ut marito defuncto, filij quoq; pereant, nam triſtis mors totam domū uiduitatis malo defœdat, non deſunt ſtatim qui poſſeſſionibus manū inijciant, & omnia abradant, nō enim ullam legum rationem habent, nihil eſt igitur miſerius, ac maiore cum periculo coniunctū, q̄ uidua in ædibus: ſic dixit magnū ploratum ciens. Tum autem filius reſpondit, Mea mater, eſto prȩſenti animo, ac deſine male ominari, nemo enim præter fatorū diſpoſitionē bello domatur. Si igitur in fatis meis eſt, ut moriar pro Græcis uitam profundā, ubi facinora Aeacidarū genere digna perpetrauero. Vt dixit acceſſit uenerandus uir Lyco

Digitized by Google

medes, & illum belli ardore accenſum alloquitur, O magnanime fili, corporis uiribus patrem repręſentans, non equidem inficias iuero, te fortem & impetuoſum eſſe, attamē ne ſic quidem fieri poteſt, quin bellum infeſtum, & undoſi maris fluxus, mihi formidinem inijciant, nunquàm enim procul à nautis abeſt exitiū. Proinde mi fili, ſemper eſto ſolicitus, quandocunq; maritimum iter aggrederis, in poſterum, uel è Troia uel aliunde, ut ſæpe uſu uenit, tum quando tenebroſum Capricornum Sol ingreditur, à tergo habens luctificum Sagittarium, cum procellæ tempeſtate inuoluunt mare, aut quando per latum Oceani fluxū feruntur aſtra, iam occidui Orionis: deinde ne ſecuro ſis animo, ſi triſti æquinoctio ferantur, per latos ponti gurgites, naues, ruentes per magnas undas maris, aut quando Pleiadum occaſus eſt, quaſ & ipſaſ metue ad occubitū propenſaſ. Sunt præterea & alia aſtra, quæ uel orientia uel occidentia per latum maris fluxum miſeris mortalibus terrorē incutiunt. Sic dicens exoſculatus eſt iuuenem, nec illum belli cupiditate æſtuantem, ab itinere retrahere uoluit, at ille amabili riſu, animi gaudium teſtatus ad nauigationem toto affe

ctu

ctu rapiebatur, ſed illum properantē, lamentabile matris colloquium adhuc in ædibus detinuit, ut quando quis acrē equum ad curſum inflammatum cohibet inſidens, hic autem durum mandit frenum adhinniens, pectus eius ſpuma rigatur, tum ſtare loco neſciunt pedes, itineris cupidi, & agiliter commoti, crebro pulſatur ictu locus idem, ſub leuiſſimis pedibus, & agitata iuba fluit per armos, & caput in altum erigit, collectumq́; premens uoluit ſub naribus ignem, dominus uero oblectat animum, ſic certe preclarum bellicoſi Achillis filium, mater quidem continuit, ſed pedes ad iter accendebant, at hæc quàmuis magno affecta dolore, animos tamen ob ſuum filium ſuſtulit, qui ubi illam ſæpius amplexus eſſet ſolam deſeruit, acerbo ſe luctu afflictantem, in chari ſui patris ædibus, non ſecus, ac hyrundo magna indignatione perculſa, in ædibus deplorat ſuos pullos, quos alibi admodum ſtridulos pernicioſus deuorauit anguis, & in luctum coniecit uenerandam matrem, hæc autem orba iam circumuolat nidum, iam uero ad expolita ueſtibula fertur, graues ob ſuos liberos ploratus ciens: ſic quoque plorabat Deidamia, & interdum filij lecto circumfu

ſa magnum miſcebat ſtrepitũ, tum iterum plorabat in limine, & amico impoſuit ſinui ſi quod domi erat ludicrũ, quo adhuc tenellus ipſe animum oblectare ſolitus erat, prę- terea ſi quod iaculum cerneret relictum, repente id cum ploratu exoſculabatur, aut ſi quid aliud uiderat ſui præſtantis filij. Cæterum ille matri immenſum ploranti audiens eſſe dicto noluit, ſed ſeparatim ad naues ſe coniecit, uelocia autē membra illũ ferebant fulgido aſtro ſimilē, at illum ſimul cum bellicoſo Vlyſſe ſequutus eſt Diomedes, deinde uiginti uiri magna animi robore ſuffulti, quos habuit ornatiſſimos in ſua familia Deidamia, & dedit illos ſuo filio famulos, qui tunc Achillis filio obſequium præſtabant, per urbem ad nauem ſe corripienti, qui in riſum diſſolutus per medios incedebat. Porro Nereides Thetim obſtipantes, gaudio perfundebātur, quin & ipſe Neptunus oblectabatur animo, intuitus præſtantis Achillis impetuoſum filium, qui iam inflammato ſtudio lamentabile expetebat bellum, q̃uis adhuc indetonſus, nondũ adoleſcentię metas pertigiſſet, ſed illi corporis robur faces ſubdidit. Cęterũ ſua patria excedebat, qualis Mars, cum cruentam ad pugnam rapitur,

&

Digitized by Google

& ſuccenſens hoſtibus, magno animi furore effertur, & eſt illi ſupercilium horridum, deinde oculi igneum quendam fulgorē reddunt, ac illi ruenti genæ pulchritudine ueſtiuntur, quę horrorē ſibi habent adiunctū, metuūt ſane dij ipſi, talis erat prę ſtans Achillis filius. Cæterū ciues precabantur immortales deos, ut triſtis belli procellis ereptum ſuum regem redderent patriæ incolumem, at iſti audiebant precantes, ille autem gaudiens ſupereminet omnes ſequentes: porro ubi ad littus undoſi maris ueniſſent, inuenerunt nautas in bene inſtructa naui, uelū intendentes, & alia omnia in naui accelerantes, ipſe autem ſtatim conſcendit, tum oras ſoluerunt & anchoras attraxerunt, quæ nauibus magnum ſequuntur robur, his autem ſecundum dedit curſum Amphitritæ maritus, nam magnis curarum æſtibus impellebatur, q̃ uideret Gręcos ita premi à Troianis, ac magnanimo Eurypilo. Cæterum hi utrimque aſſidentes demulcebant oratione ſua Achillis filium, enarrantes ſui patris facinora, quæ perpetrauerit in longa nauigatione, & in terra bellicoſi Telephi: deinde quibus multaſſet malis Troianos, circa urbem graſſatus, quibus etiā Græcos, huius autem

animus gaudio prętentabatur, in ſpem arrectus futurum, ut imperterritũ ſuum patrem & robore & rerum geſtarum gloria æquaret. Porro prę ſtans Deidamia ob filium magno animi dolore affecta, in ſuo thalamo ſedebat plorans, nam illi animus in pectore acerbo liqueſcebat mœrore, ut molle plumbum in carbonibus, aut cærę fruſtum, nec illam linquebat luctus proſpectantem ad immenſum mare, ſiquidẽ mater cruciatur animi ob filiũ, etſi ad conuiuium eat, & iam uela nauis occultabantur, & aëri ſimilia apparebant, ſed hæc totum diem luctu cõtriuit, nauis autem uento ſecundo uſa, maritimum iter capeſcebat, leuiter perſtringens undoſum mare, cæruleus utrimq; carinã circumfremebat fluctus, ſtatim autem magnas undas tranſmiſit, tum nox irruit, nauis ferebatur, quo uentus gubernatorq́ꝫ uocabãt, deinde orta aurora, Ideę montis iuga apparebãt, & Chryſa quoq; ac Sminthos, & ardua Sigias, ac prę ſtãtis Achillis tumulus, ſed hũc prudens Vlyſſes nondũ demonſtrauit Neoptolemo, ne illi in animo luctus accenderetur, deinde trãſmittebãt inſulas Calydneas, & Tenedus à tergo linquebatur, & apparebat Ptelei ſolum, quod Proteſilai tumulus

con-

condecorat proceris umbroſus ulmis, quæ orto ſole ſtatim montium proſpectum adimunt. Cæterum nauem remigio impulſam uentus non procul à Troia prouexit, nam appulit ubi ſtationem etiam habebant aliæ Grecorũ naues, qui tum miſere affligebantur pro munimento pugnantes, quod antea ædificarunt nauibus uiris fortibus tutandis in prelio, id certe tũc Eurypili manibus conuulſum ſolo æquatum fuiſſet, ni ſtatim animaduertiſſet Diomedes, longa ſepta dirui, repente autẽ è naui ſe corripuit, & quanta ui potuit, uociferabatur confidenter, Magna certe, ô amici homines, calamitas ad Grecorum pedes uolutatur hodie, proinde ſtatim ſumptis armis in aciem ruamus, iam enim Troiani bellicoſi ante noſtra munimenta pugnã capeſcunt, quibus ſtatim deiectis, igni naues miſeris modis abſument, tũ nobis omnis ſpes reditus amputabitur, ſed ſtatim præter fatũ domiti, in Troiano ſolo proſtrati iacebimus, procul à liberis ac uxoribus. Vt dixit, hi q̃ celerrime toto agmine ſe nauibus extulerunt, nam id audientes, magno metu cõcutiebantur omnes, extra unũ bellicoſum Neoptolemũ, quia robore corporis patre non multo erat inferior, magno

igitur amore pugnæ tenebatur. Cæterũ repente ſe omnes ad Vlyſſis tentorium receperunt non procul à naui ſitum, quia illic multa & diuerſa arma uel prudentis Vlyſſis, uel ſociorũ eius repoſita erant, quæ interceptis detraxerãt: hic igitur optimi quiq; egregijs ſe armis muniebant, alij deteriora induerunt, quibus nẽpe flaccidus in pectore animus erat, deinde Vlyſſes quoq; & quicunq; Ithacenſes ſub ſuis ſignis militarent, ſe muniebant. Præterea dedit Diomedi arma pulcherrima, quę antea Soco ui detraxerat, tũ Achillis filius patris induit arma, quẽ corporis forma exprimebat, nam Vulcani manibus mẽbris aptata, fuerunt leuia, q̃uis alijs põderoſiſſima eſſent, huic tamẽ omnia illa arma nullius eſſe ponderis apparebant, nec quicquam illi caput grauauit ſecuris, ſed manibus illam quantumuis magnã ſine negocio ſuſtulit, adhuc ſanguine imbutã, quicunq; autem Gręcorum intuerentur, nõ potuerunt quàmuis cuperent gradum conferre, quoniam illos pro muris ſtantes grauis belli procella depreſſerat, ut quando in deſerta aliqua inſula procul ab omnium hominum commercio, intercluſi ſtomachantur, utpote quos aduerſi uentorũ turbines, non

pauco

Digitized by Google

pauco tempore detineant, tum hi magno mœrore deiecti circa nauem uerſantur, omnis autem commeatus deficit, at tandē mœrentibus ſecundus uentus ſpirare incipit:ſic quoq; Grȩcorū populus magno antea mœrore affectus, mirum in modum gaudebat ob aduentum Neoptolemi, in ſpem erectus futurum, ut triſtibus belli moleſtijs euoluerentur, nam oculi flammeſcebant, nō ſecus, ac peruicacis leonis, qui per longos mōtes magna indignatione percitus, fertur uenatoribus obuiam, qui iam in eius antrum penetrant, auferre conati catulos procul à ſuis parentibus deſtitutos, in opaca ualle, at hic è ſpecula, exȩdito ardui montis uertice, intuitus impetu exilit ad exitiales ruſticos, horridū ſtridorem metuēdis genis ædens: ſic certe præſtans intrepidi Achillis filius Græcis accendit animū, in bellicoſos Troianos, nam per campum eo primum ſe recipiebat, ubi maxime pugna exarſit, qua nempe parte Græcorum munimentum faciliorem aditū irruentibus pugna hoſtibus prȩberet, quia parū ualidis propugnaculis fulciretur, cui ſe alij addebant comites pugnȩ cupidine exȩſtuantes, deprehendebant autem fortem Eurypilum, & ſuos cum eo ſocios,

O v turrim

Digitized by Google

turrim ſcandere,animo deſtinantes futurũ, ut murum cõuellant, & memorabilẽ per tota Græcorum caſtra cædem ædant, ſed dij non annuerunt eorum uotis,nam illos ſtatim Vlyſſes, & Diomedes, & Neoptolemus,& Leonteus, muro infinitis telis prohibuerunt, non ſecus,ac à ſtabulis canes & laborioſi paſtores, undique irruentes,uiribus & clamore, ualidos depellunt leones, hi autem glaucis oculis, horrendi feruntur huc atq; illuc magno animi feruore æſtuantes , ut aut uitulos aut boues maxillis dilanient,ſed ſic fit, ut cedant à magnanimis canibus depulſi, nam illis extimulãt paſtores parum abſiſtentes, nempe quantũ quis manu iacularetur ingens ſaxum:uerum Eurypilus non paſſus eſt Troianos à nauibus fugere,nam circumquaque omnia uaſtans hortabatur in ſtatione manere tantiſper dũ naues traxiſſet,& internitione cecidiſſet Græcos omnes, Iupiter enim illũ infinito robore augebat, & magnũ ac horrendum ſaxum arreptum impetu torſit in altum murũ,tum fundamenta æditi munimenti,horrendo ſonitu concutiebantur, omnes autem Græci metu corripiebantur,non ſecus,ac ſi murus puluere proſtratus iaceret,at ne ſic quidem

pugna

Digitized by Google

pugna abſtinuerunt, ſed manſerunt ſimiles lupis aut urſis impudentibus ouium prędonibus, ubi in montibus eos agreſtes canibus antris expulerunt, cupientes catulos repentina cæde afficere, porro hi etſi telis urgeantur, loco tamen non pelluntur, ſed manentes catulos ſuos tuentur, ſic illi ut & naues & uiros interitu aſſererent, in pugna perſiſtunt, quibus temerarius Eurypilus minabatur grauiter ante ueloces naues, Formidoloſi, inquiens, & imbellem pectore animum ferentes, haud certe me telis perterritum nauibus arceretis, niſi munimentum meas auerteret minas, nunc certe ut meticuloſi canes ſylua tecti leonē laceſſunt, ſic munimentis incluſi pugnā capeſcitis, graui uos ſtragi ſubtrahere conati, porro ſi è nauibus in Troicum campum deſcendere pugnę cupidi, ut antea auderetis, nemo certe uos triſti fato poſſet eripere, ſed omnes mea haſta deiecti in pulueribus procumberetis. Sic dixit uana uerba funditans, nec compertū habebat futurum, ut non multo poſt ſibi fortis Neoptolemi manibus exitiū ſtrueretur. qui illum breui prompta haſta domiturus erat, quàmuis is ipſe ne tum quidē à magnis laboribus immunis fuerat, ſed Troianos à munimento

munimento depulit, hi uero in fugã conuertebãtur, telis ex alto impetiti, neceſſitate autem urgente, Eurypilo denſe circumfundebantur, triſti omnes metu correpti, ut quando parui pueri circa ſui patris genua metu coguntur, tonitru magni Iouis conſternati, quod nubibus erũpit, quando graui ſonitu aër miſcetur, ſic certe Troiani inter cæteros uiros Neoptolemum magnũ regem fugiebant, nam quicquid manibus emitteret, recta uolabat in hoſtium perniciem, capitibus adferens lamentabilem ſtragem, quare Troiani ſtupore perculſi perſuadebãt ſibi ſe magnum Achillem intueri ſuis indutũ armis, attamen mœſtam hanc perplexitatem animo premebant, ne grauis terror & Ceteis & regi Eurypilo iniĳceretur. Proinde alium de alĳ immenſa concuſſi trepidatione, inter horridum metum, & pugnę preſſurã æſtuabant, nam pudor & triſtis formido illorum animos diuerſe traxerunt, ut quando uiatores ſaxoſa uia incedentes, uiderint torrentẽ è monte pręcipitatum, ac ſtrepitu tota reſultat petra, nõ certe quàmuis iter urgeant per ſonorum fluxum impetu aguntur, quia ante pedes exitium cernentes, contremiſcunt, nec ullam uiæ rationẽ habent, ſic certe Troiani

iani

Digitized by Google

iani manebant ſub muro Græcorũ, pugnæ deſiderio detenti, quos diuina forma prædi tus Eurypilus, ſemper ad prælium extimu labat, nam haud dubia illum ſpes habebat, multorum ex hoſtibus, qui in prælio ſtre-nuam operã nauaſſent robur & manus laſ-ſitudine ſolui, proinde nullũ pugnandi mo dum fecit, at horum ſtrenuum laborem in-tuita Minerua deſeruit, fragrantis olympi ſublimem aulam, ac inceſſit per montiũ uer tices, nec terram ueſtigijs preſſit, feſtinato iter faciens, ferebat autem illam ſacer aër nu bibus haud diſſimilem, ac uento leuiorem, & dicto citius Troicis aſtitit oris, ac pedes impoſuit uentoſi Sigei colli, hinc autem pu gnam ſpectabat bellicoſorum uirorum, & magna Gręcos gloria affecit. Cæterũ Achil lis filius lõgo interuallo præceſſit omnes, & animi fortitudine, & robore corporis, quę ſi iunganť magno mortalibus ſplẽdori eſſe ſo lẽt, hic autẽ utroq; expolitus erat, quia Iouẽ ſanguine attigit, nec charo patri diſſimilis erat, quo factũ eſt, ut imperterritus magnã apud munimẽta ſtragẽ perpetraret, perinde ac piſcator per mare capturę ardore accẽſus piſcibus meditatur exitium, excitat enim ſo culum in ſua naui, tum ignis fulgor excitus uapore,

uapore, per nauem coruſcat, piſces autem è mari cæruleo exiliunt, cupidi poſtremæ lucis, at hic acuta tridente ferit aſſilientes, magno autem gaudio diffunditur illi animus, ob capturam, ſic quoque præclarus bellicoſi Achillis filius, circa muros hoſtiles turmas in aduerſum ruentes domuit. Omnes autē Græci toto molimine connisi ſunt, alij quippe alijs propugnaculis, littus & naues ſonitu miſcebantur, muri autē cadentiū gemitu reſonabant, & utrimq; omnes immenſæ laſſitudini ſuccumbebant, membra & robur iuuenum ſoluebantur, nō tamen fortis Achillis diuum filiū inuaſit defatigatio, ſed eius cor labori indomitum perſtabat, nec quicq̃ quod ęgre eſſet illū pugnantē attigit, non enim robore multū abludebat ab inde feſſo ac perenni fluuio, quē indomita ignis uis ac nulli cedēs, pauore in fugā agere non poteſt, licet etiā magno impetu uentus incubet, ſacri Vulcani robur exagitans, ſi enim ad amnis profluxum diffundatur, flacceſcit, nec uires ſuppeditantur, ut ualidam ac indomitam aquam inuadere poſſet, ſic quoque bellicoſi Achillis filiū, nec triſtis labor nec metus labefactare potuerunt, ſemper ſuffulcientem ac extimulantem ſuos ſocios, nec

ullum

ullum certe telum illius pulchrum corpus perſtrinxit, cum tamen multorū iaculis im peteretur, ſed ut per petrā niues, in caſſum fundebantur, nam latum ſcutum propulſa-uit omnia, & grauis galea, præclari dei mu-nera, quibus gauiſus fortis Achillis filius, fre quentabat per murū, ac alto ſublato clamo-re Græcis ſtimulos ſubdidit, ut intrepidi in pugnam raperentur, quia cum multò om-nium eſſet præſtantiſſimus, gerebat tamen animum triſtibus minis inſatiabilem, uerſa bat igitur in pectore ſui patris triſtē cædem ulciſci, Myrmidones autem ſuo rege oble-ctabantur, porro triſti pugna circa muros fœdabantur omnia, hic duos filios opulen ti Megetis neci dedit, qui Dymante progna tus, habuit rei bellicæ gloria admodū con-ſpicuos filios, ſcientes & recte iaculum tor-quere, & equum impellere in prœlio, & lon gam doctè uibrare haſtā, quos Hyperebia unico partu in lucem extulit, ad Sangarij ri pas, nempe Celtū & Eubæū, nec datum eſt illis, multo tempore immenſa illa felicitate frui, quia fata exiguas illis uitæ metas præfi xerunt, nam ambo ſimul in lucem prorepſe runt, & eodem tēporis momento fato con ceſſerunt, domiti fortis Neoptolemi mani-bus,

Digitized by Google

bus, hic quidem iaculo per pectus traiecto, alter uero triſti ſaxo in caput impulſo, nam magna galea capiti illiſa diffringebatur, & cerebrum confudit, circa quos & aliæ infinitæ hoſtium tribus ceciderunt, mirũ enim quanta belli procella mota fuerit, tantiſper dum ueſpera opprimeret, & ad aurorã nox præcipitaretur, tum intrepidi Eurypili milites parum à nauibus retro agebãtur, & qui prope munimentum præliũ inibant, parum reſpirabant, qũin & ipſi Troiani, ab imbelli pugna deſiſtebant, quia graue circa muros motum erat certamen, & omnes Græci circum naues ſuas ad internitionem cæſi fuiſſent, niſi Achillis filius illo die magnas hoſtiũ copias propulſaſſet, imo & ipſum Eurypilum, quem cum ſenex Phenix adijſſet, & illũ intuitus admiratus eſſet, Achilli ſimilem, tũ ſibi pectus magno gaudio ſimul & immenſo quodam dolore occupabatur, dolore quidem, quòd ob oculos ſibi uerſaretur Achilles, at gaudio, quia fortis Achillis filium eſſe cognouit: fleuit igitur non inuitus, cum quippe humanum genus nunq̃ luctus expertẽ agat uitam, etſi aliquando gaudium adferat: proinde in eius amplexũ ruebat, nõ ſecus, ac pater filio circumfunditur,

qui

qui deorum uoluntate, longo tempore, mul
tis miſerijs iactatus, ſuam domum repetat,
magnum patri gaudiū adferens: ſic ille Neo
ptolemi caput & pectus oſculabatur, circū-
fuſus, & hæc inter amplexandum loquitur,
Salue ô mi Achillis fili, quem ego aliquādo
tenella ætate conſtitutū, meis ulnis educaui
ſedulo, at hic haud ſine diuū numine, ut ra-
mus floridus creſcebat, porro magna meū
animum inceſſit lætitia, intuitus aut corpus
aut uocem, magnam enim hinc retuli com-
moditatem: proinde non minori illū hono
re habui, quàm unicum filiū, & illi ſemper
loco patris fui, ita ut ob concordiā dixiſſes,
nos ab eodem ſanguine genus ducere, at il-
le me uiribus lōge anteiuit, qui robore cor
poris dijs par fuit, at tu illi prorſus es ſimi-
lis, nam illum exiſtimo uiuū inter Græcos
adhuc uerſari, quare nullo non tempore a-
cerbo luctu cōficior, ac triſti ſenecta, diſcru
cior animi. Vtinam illo adhuc ſuperſtite, tu
mulo conditus fuiſſem, quę etiam gloria eſt
uiro ſui ſibi curatoris manibus parentari, at
mi fili, illum nunq̄ animo meo delebit obli
uio, ſed in mœrore perſiſtā, tu uero ne ani-
mū luctu excarnifices, ſed Myrmidonibus
& Græcis bello fractis opem feras, magna

P in

Digitized by Google

in hoſtes iracundia exæſtuãs, ob interfectũ patrẽ, tu enim huic ingẽtem referes gloriã, ſi Eurypilum pugnæ inſatiabilem ſuperare poteris, ſiquidem tanto es eo præſtantior, quanto fuit tuus pater illius ærumnoſo parẽte. Porro loquentẽ interpellat flaui Achillis filius, O ſenex, noſtræ certe uirtutis indicium facient in prælio & præualens fatum, & Mars uiolentus. Sic loquutus eodem die cupiebat extra murum cum patris armis in hoſtem proruere, ſed illũ nox detinuit, quæ mortalibus laboris ſolutionẽ ferens, Oceano ſe eduxit, inuoluẽs corpora caligine. Cæterum Græci magno delibuti gaudio illi apud naues nõ minus detulerunt honoris, quàm forti Achilli, quia prompto animo in prælium procedens, magnam illis fiduciam iniecit, quare ſplendidis eum premijs cõdecorarunt, infinitis cumulantes donis, quarũ acceſſione diuitiæ hominũ creſcere ſolent, hi quidem aurum & argentum cõferentes, hi uero mulieres & ancillas, tum autem alij magnam uim æris aut ferri, alij iterum rubrum uinum, amphoris largiti ſunt, & acres equos & arma bellica, & affabre factas ueſtes, ac eximia mulierum opera, quibus mirum quàm oblectaretur amicum Neoptolemi

mi pectus, deinde in caſtris ad cœnã applicarunt animum, diuinum Achillis filium illuſtrantes, non ſecus, ac deos immortales: quare Agamemnon in riſum ſolutus, hiſce uerbis eum compellat, Mi fili, tu uere es fortis Achillis filius, quia illum & robore corporis & forma, & magnitudine, & audacia refers, quo fit, ut magnũ animo gaudium concipiam, nam in ſpem adducor futurum, ut tuis manibus & haſta, cum hoſtiles turmas, tum pręclarã Priami urbem deiectum iri, quia patrem repræſentas, nam memini me illum uidiſſe apud naues, quando minabatur Troianis, ob cæſum Patroclũ ſuccenſens, at ille in deorum cœtum relatus eſt, & te cœlitus demiſit hodie pereuntibus Gręcis ſubſidio: quem ſic loquentem interpellat fortis Achillis filius, Vtinam ô Agamennon eum adhuc ſuperſtitem offendiſſem, ut & ipſe me ſuum gratum filium uidiſſet, non eſſe probro forti patri, ut futurũ exiſtimo, ſi me ſecuri cœlites incolumem ſeruent: ſic certe dixit prudenti pectori animũ aptans. Populus autẽ circũfuſus, miratus eſt diuum uirum, ſed poſtquàm exempta fames epulis, menſæq; remotæ, tũ Neoptolemus recubitu ſurgens, contulit ſe ad patris ſui ten

 toria,

toria, ubi multa interfectorum heroum arma repoſita erant, deinde multæ uiduę, quæ aliunde aliæ in prędam abductę fuerunt, circa illum, tentorium ornabant, non ſecus, ac ſi adhuc in uiuis fuiſſet rex Achilles: hic autem ut uidit Troianorum arma ac famulos, alta duxit ſuſpiria, nam patris deſideriũ eius animum inceſſit, ut quando per denſas ſyluas ac ualles uirgultis amictas, horridi leonis à uenatoribus deiecti catulus, opacum ſubit antrum, quaquauerſum ſtatim oculos circumfert per ſpecum, uerum intuitus illic magnam oſſium uim, non paucorum equorum aut boum, magno ob parentem dolore afficitur: ſic certe tũc fortis Achillis filius, animo obriguit, famulæ autem in magnam adducebantur admirationem. Quin & ipſa Bryſeis, cum uidiſſet Achillis filium, nunc quidem in animo gaudet, nunc igitur mœrore angitur, Achillẽ ſibi ob oculos ponẽs, certe illi animus admiratione ad ſtuporem uſque defigitur, quaſi reuera etiamnũ ſuperſtes eſſet fortis Achilles. Porro ab alia parte Troiani magno delibuti gaudio, Eurypilũ fortem uirũ nõ minoribus extulerunt præconijs in ſuis caſtris, q̃ diuũ Hectora, cum maximam inter Græcos ſtragem perpetraret,

ret. ſuam excidio uindicans urbem, & poſſeſſiones omnes, at ubi mortales ſuauis inuaderet ſomnus, tum quoq; Troiani & bellicoſi Græci ſomno grauati, quiete fruebantur omnes pręter eos qui excubias agerent.

Septimi libri finis.

IN OCTAVVM LIbrum argumentum.

POSTERO die Troiani, inſtigante Eurypilo, magno feruore in campū deſcendunt. Contrà Neoptolemus Græcos in aciem educit, ac uario diu Marte pugnatum eſt. Tandē Neoptolemus magno impetu ad Eurypilū affectabat uiam, at Eurypilus irruentis impetum ſuſcipiens, diu reſtitit, tandem ſuccubuit, & à Neoptolemo cæſus eſt. Quod cernentes Troiani, terga uertunt, Mars autem cœlo deſcendēs, uociferando Troianis animos addere conabatur, cuius uocē intelligens Helenus, declarat Troianis, Martem auxilio ueniſſe. Proinde à fuga ſe retraherent, & concepta ſpe uictoriæ fortiter reſiſterēt. Non potuerunt tamen Neoptolemi uiribus pares eſſe. Quare ira inflāmatus, cum Neoptolemo manus cōſeruiſſet Mars, niſi Minerua cœlo deſcendens, ſe obuiam illi tuliſſet: at Iupiter miſſo fulmine, utrumq; à pugna retraxit.

QVINTI CALABRI DERELICTORUM AB HOMERO, LIBER OCTAUUS.

TVM uero ſolis lumen per terram diffunditur ex terminis oriētis, ubi auroræ ſpecus, tunc quoq; & Troiani & Græci utrinq; armantur ad pugnam properantes, his autem pręſtans Achillis filius faces ſubdidit, ut præſenti animo Troianis ſe obuiam ferrent, at illis Eurypilus, adducebatur enim in ſpem futurū, ut murum humi proſterneret, & naues igni hoſtili abſumeret, ac populum Græcorum ſuis manibus deijceret, ſed eius ſpes erat uana, nempe par leuibus uentis, nam fata non procul abſiſtentia ſubſannabant uana animo agitantē cōſilia, & tum imperterritus Achillis filius. Græcos ad ſubeundum laborē extimulans, audenti pectore proloquitur, Audite me famuli Mauortio pectoribus animo indito, ut belli cōficiendi rationem Græcis inuentam demus, hoſtibus uero exitium adferamus, ne quis ueſtrū metu deijciatur, nam per audaciā magnis auctibus creſcit robur, at metus

tus

tus & uires & mentẽ obtundit, proinde omnes ad pugnam animis obdureſcite, ne Troianorũ exercitui detur reſpirare, ſed dicant Achillem adhuc uiuum inter Græcos uerſari: ſic dicẽs humeris paterna circundedit arma undique fulgentia. Cæterũ Thetis gaudio exilijt, ſpectans è mari magnum nepotis ſui robur, tũ repente ad altum murũ conceſſit, uectus immortalibus ſui patris equis, qualis autẽ ab Oceani terminis emicat ſol, admirandũ in terra ignem illuminans, quando eius equis & currui cõgreditur aſter Syrius, qui ęrumnoſos adfert mortalibus morbos, talis ad Troianorum exercitum ferebatur præſtans heros Achillis filius, immortales illum uehebant equi, quos cupienti è nauibus ſuos milites in aciem educere, exhibuit Antomedon, qui illos rexerat, equi autem magnam cœpere uoluptatem, ſuum uehentes regẽ Achilli ſimilem, quare in ſpem arrigebantur futurum illum Achilli non inferiorem: ſic etiam Gręci magno affecti gaudio conglomerabantur, circa Neoptolemũ magno animi promptitudine euibrati, triſtium ueſparum in modum, quę cum tumultu cauernis ſuis euolant, cupientes uirilẽ ferire cutem, ac omni ope cõnitentes, magnã

meditantur moleſtiam mortalibus corruentibus: ſic illi & nauibus & muris ſe diffundebant, pugnæ cupidi, latus locus gemebat, & totus campus ſeorſim uirorum armis coruſcabat, ſole nimirum deſuper ſub aëre irradiante, qualis autem nubes rapitur, per infinitum aëra, magnis Boreæ flatibus impulſa, tum certe nix diffunditur, & triſte brumę tempus ſęuit, ac quacunq; cœli faciem prętexit caligo, ſic tũ implebaẽ terrra, utrinq; confluentibus, haud procul à nauibus, puluis autẽ ſublatus cœlo ferebatur, ac uirorũ arma ſonabãt, ſimul & multi currus, deinde equi, ad pręlium effuſo curſu contendentes, hinnitu omnia miſcebant, nam cuiq; ſua uirtus ſtimulos ſubdidit, ad triſtem pugnã exacuens, ut quando duo uenti longos exagitant fluctus, horrendũ tollentes fremitum, per latas maris undas, ſibi mutuo excutientes procellas, quando triſtis hyems per latos ponti gurgites furit, indomita autem circumgemit Amphitrite, fluctibus horridis, nam hi aliunde alio feruntur, arduis montibus ſimiles, quibus intumeſcẽtibus, utrinq; per mare triſtis oritur fremitus, ſic utrinq; ad prælium ruebant, horrendo animi motu exciti, ipſa autem contentio eos exagitaut,

&

& concurrunt tonitrui, aut fulmini ſimiles, quæ magno ſonitu eliduntur per aëra, cum impetuoſi uenti præliantur, & ingenti flatu nubes dirumpant, Ioue quippe in illos magna iracundia inflammato, qui nephanda opera deſignant: ſic illi infeſtis animis commiſſi ſunt, haſtæ haſtis & ſcuta ſcutis conferuntur, & uir uirum petijt, ac primum præſtans bellicoſi Achillis filius, mactat egregium Melanea, & ſplendidum Alcidamanta, bellicoſi Alexinomi filios, qui in caua Caune imperitabant, non procul à pellucida palude, apud Ombrum ſemper niue obſitam, iuxta pedē montis Tarbeli: deinde interfecit Menetę filium Caſſandrum, pedum celeritate eximium, quē peperit diua Creuſa ad oſtia Lindi latiflui amnis, ubi bellicoſorum Carium termini ſunt, & celebratę Lyciæ promontoria: adhæc neci dedit Morim haſta inſignem, qui è Phrygia ad expeditionem Troianam uenerat, cum his quoq; & Polynon & Hippomedonta, huic quidē uulnere præcordijs infixo, alteri uero, ea corporis parte, qua humerus ceruici iungitur diuerberata. Porro aliū alio loco domabat, terra autem Troianorum cadaueribus ingemuit, qui cadebāt in morem aridorum

P v ramo-

ramorum, quos impetuoſi ignis uapor perdomuit facile, irruente autumnali Borea, ſic illo impreſſionem faciente, cateruæ in præceps agebantur. Cæterũ Aeneas deiecit bellicoſum Ariſtolochum, ſaxum in illum magna ui iaculatus, oſſa autem illi comminuit cum galea, tum anima oſſa reliquit. Porro Diomedes acrem Eumęum impetijt, qui aliquãdo Dardaniã incoluit, ubi Anchiſę ſunt lecti, quibus Venerem ulnis ſuis domuit, Agamemnon autem ſtratum præſtantem uirum interfecit, nec ille in Thraciam è bello reuerſus eſt, ſed procul à ſua patria extinctus iacet, deinde Meriones Chlemũ Piſenoris filium, qui magnis neceſſitudinibus diuo Glauco circumuentus erat, ac habitauit iuxta Amyri fluminis oſtia, & illũ, cũ Glaucus fato functus eſſet, nec amplius imperij habenas teneret, ut regem uenerabantur, omnes circumquaque gentes, & quæ Pheniciam incolebant, ac arduum Maſſicyti promontorium, & Chimeræ aram. Præterea alius alium prælio ſtrauit, inter hos autẽ Eurypilus multos ex hoſtibus lœtho dedit, & primum bellicoſum Eurytium, deinde Menetium uaria ornatum mitra, diuos Elephynoris amicos, & iuxta illos Harpalum bellicoſi

licoſi Vlyſſis ſocium, ſed ille ſeorſum alijs diſtrictus curis, collapſo famulo ſubſidio uenire haud poterat, uerum huius amicus Antiphus, ob amicum interfectum inflammatus, in Eurypilum torſit telum, ſed non uulnerauit illum, quia paulo ſemotius incidit in bellicoſum Melanionem, quem aliquando formoſa Clete ab Euryalo compreſſa genuit, iuxta latiflui Caici fluenta. Cæterũ Eurypilus ob interfectum ſocium iratus, irruit ſtatim in Antiphum, ille uero rapido ſe curſu in amicorum cœtum corripuit, nec eum ualida Eurypili haſta domuit, quia futurum erat, ut acerba morte periret in poſterum, apud ſanguinarium Cyclopem, ſic enim triſti collubuit fato. Porro Eurypilus alio ferebatur, cuius ſemper irruẽtis haſta, magna hoſtium turba humi fundebatur, ut proceræ arbores in frondoſis montibus, ui ferri præſectę, ualles implent, aliunde aliæ humi procumbentes, ſic Græci haſta bellicoſi Eurypili deijciebantur, tãtiſper dum illi ſe obuium tulit Achillis filius, magnos ſibi ſpiritus ſumens: tum hi ambo longa haſtilia manibus criſpãtes, ad ſeſe mutuo prompto animo affectabant uiam, & primum Eurypilus ſciſcitatus alloquitur, Quis tu, inquit, aut un

de

de ueniſti? ut nobiſcum ferro dimices, certe crudelia te fata ad Plutonis ædes ferent, nemo enim ſe mihi fuga ſubtrahere potuit, in triſti pugna, ſed quicunq; huc ſe receperũt, ut mecum infeſtis armis concurrerent, omnes meis manibus orco demiſſi ſunt, omnium autem oſſa & carnes iuxta Xanthi fluenta, canes prorſus dilaniarunt, ſed age, dic mihi, quiſnã es, & cuius equis exultes? Hũc ita loquentem compellat bellicoſus Achillis filius, Cur tu me, hoſtis cum ſis, ad cruentam pugnam properantem, perinde ac mihi bene cupiens, interrogas? ut tibi declarem meum genus, quod multis compertum eſt: ſum enim fortis Achillis filius, qui antea tuo patri terrorem iniecit, haſta in illum miſſa, & dura mortis neceſſitas eum occupaſſet, niſi celeri fuga, triſti ſe exitio ſubtraxiſſet. Porro qui me ferunt equi fuerunt diui mei patris, quos Harpya peperit, Zephyro antea miſta cõcubitu, qui pedum celeritate, per iactabundum feruntur mare, ſummas undas ungulis ſtringẽtes, nõ enim diſſimili uentis impetu rapiuntur: at nunc cum & meum & meorum equorum genus didiceris, etiam periculũ facito, ut duræ meæ haſtæ occurrere diſcas: eſt enim in uertice

ardui

ardui montis Pelei nata, ubi certe & ſectio nem & lectum reliquit. Dixit, & ex equo in pedes defluxit uir præclarus, longã uibrans haſtam, hic autem aliunde ualidis manibus inuſitatæ magnitudinis ſaxum ſuſtulit, & in aureũ Neoptolemi ſcutum torſit, ſed q̃uis magno ferretur impetu, non tamen illlum concuſſit, uerũ ſtetit immotus ut rupes ingens in magno monte, quam uis aquarum quæ ex alto præcipitatur, etiam ſi uno impe tu in illam agatur, loco mouere nequit, nam altè radices egit, ſic intrepidus perſtitit præ ſtans Achillis filius, at ne ſic quidem formi dabat temerarius Eurypilus, immenſis uiribus præditum Neoptolemũ, quia illi ſua temeritate ſtimulos addidit, tum fata quoq;, præterea etiam animus in pectore præſens efferbuit utriſq;, ac ornata circũ illos arma ſtrepebant. Porro ferarum in morẽ in ſeſe mutuo inuehebantur horridi, quibus per montes prælium increſcit, quando triſti fame exagitatæ, aut ob bouẽ, aut ceruũ interfectum, certamẽ ineunt, ambę impetu inue ctę, ualles circumquaq; fremitu reſultant, ſic illi concurrunt, triſti certamine cõmiſſi, cir cum autem longæ utrinq; phalanges in pu gnam cõnituntur, nam circũ illos magnum orie-

oriebatur certamen. Cęterũ illi leuibus uentorum turbinibus ſimiles, haſtis cõflictabantur, cupientes ſanguinẽ diſpergere mutuũ, at Bellona prope aſſiſtens, extimulauit eos, non autem minandi modũ fecerunt, ſed mutua ſcuta tundebant, interdum autem uulnerabãt tibialia, aut altas galeas; deinde etiam erat, qui corpus tangeret, quoniam magnus labor illos heroas urgebat, uerũ Contentio id intuita, magnam ceperat in animo uoluptatem, multus enim ſanguis utriſq; dimanauit, ſed magno increſcente robore perſiſtebant, quia uterq; ex deorũ ſanguine genus ducebat. Cæterum ex cœlitibus, hi quidem gloria auctum uoluerunt pręſtantem Achillis filium, hi uero Eurypilum diuina forma præditum, at iſti in pugna perſiſtebant, indefeſſis arduorum montium rupibus ſimiles. Porro ſcuta haſtis uibrata, magno utrinque ſtrepitu reſultabant. Poſtremo autẽ longa Neoptolemi haſta, magno labore impulſa, Eurypili mentum perfodiebat, unde purpureus diffluxit ſanguis impetuoſe, & anima per uulnus membris euolauit, pernicioſa in oculos caligo ingruit, & in harenis corruit, ut herba, aut pinus, aut abies, impetu horridi Boreæ radicitus eiecta, tanta ruina

Eurypilus à Neoptolemo interficitur.

humi

humi ſternebatur, Eurypili corpus, Troianum ſolum & cãpus magno ſtrepitu miſcebantur, tum ſtatim florida corporis forma pallore obducebatur, & decens rubor flacceſcebat, quare in cachinnũ ſolutus formoſus heros, magna ſe iactatione extulit, Eurypile, inquiens, certe recipiebas te Græcorũ naues, ſimul cum ipſis Græcis hoſtiliter uaſtaturũ, & nos omnes miſeris modis perditurum, ſed dij tuum deſiderium non expleront, uerum magna patris mei haſta, meis acta uiribus te domuit, licet indomitus fueris, quam nemo mortalium mihi occurrens effugere potuit, non ſi plane fuerit ferreus: dixit, & cadauere prælongam haſtam impetuoſe eduxit. Porro Troiani intuiti uirũ fortem, magno metu perculſi erant, ille autem ſtatim arma cadaueri detracta, dedit amicis, ad Græcorum naues auferenda, tum in currum atq; indomitos equos inſiliens rapiebatur, ut tonitru cum fulmine à magno Ioue fertur per immenſum æthera, quod metuunt etiam extra Iouem magnum, immortales omnes, nam in terrã impetuoſe detortum, & arbores & ſummos montes ferit, tali impetu Troianis inſultabat exitiũ ſtruens Neptolemus. Porro aliunde alius deijciebatur,

tur, quoſcũq; obtriuerint immortales equi, terra autem implebatur, & affatim rubeſcebat cruore, ut quando infinita folia è monte in ualles defluentia, terram cumulatim ſternunt, ſic infinitus Troianorum & Argiuorum numerus, Neoptolemi manibus humi fundebatur, quorum magna uis ſanguinis manibus dimanauit & ſudor, tum ipſis tum equis, nam Canthi, celeriter moti, ſanguine rigabãt ſuas rotas, & certe tum Troiani portis ſe recipere compulſi fuiſſent, non ſecus, ac uituli leonẽ, aut ſues imbrem fugientes, niſi Mars horridus, opẽ ferre cupiens Troianis, olympo deſcendiſſet, clam alijs cœlitibus: ferebant autem illum in pugnam equi Ethon & Phlogius, deinde Cõbos & Phobos, quos ex grauiſono Borea peperit horrida Erinnys, ignem naribus efflantes: ingemuit autem uarius æther, illis ad prælium ruentibus, hic autem repente ad urbẽ Troianã uenit, terra autẽ magno ſtrepitu ſub diuis equorum pedibus reſultauit, cum uero non procul à pugna abeſſet, horridã uibrauit haſtam, & magno ſublato clamore Troianis animos addere conatur, ut impetũ hoſtium ſuſtineant. Porro audita diuina uoce, omnes maxima inceſſit admiratio, nõ enim

cernebant

Digitized by Google

cernebāt immortale dei corpus, nec equos quoq;, aëris namq; amictu obſepti erāt, ſed diuus Helenus intellexit diuinam uocē, quę ante quoq; ſæpe ferijt Troianorū aures, & in animo gauiſus eſt, populūq; perculſum adhortatus, uociferabatur, Admodū formi doloſi, quem fugitis, temerariū armipoten tis Achillis filium, & ipſe certe mortalis eſt, nec Martē uiribus æquat, qui nobis optan tibus ſuppetias uenit, magna namq; uocife- ratione, uobis fortiter ad pugnam capeſcen dam ſtimulos addit. Proinde amici durate, & præſentem pectore animum induite, nō enim mihi perſuadeo alium præſtantiorem Troianis propugnatorē uenire poſſe, quid enim Marte melius in prælio dari poſſet, ubi armatus, mortalibus opem ferre uelit, qui nunc uobis uenit ſubſidio, quin & ipſi belli memores eſtote, omni procul pulſo metu. Vt dixit, Troiani in aduerſum hoſtē inuehebantur, ut in ſyluis canes contra lu- pum, qui prius in fugam acti, ſtatim ſe toto pectore in pugnam conuertunt, ubi paſtor uerbis ſuis illos accenderit: ſic certe Troia- ni metum ex animo in prælio pellebant, & uir uiro, fidenti pectore opponebatur, arma autem & enſibus, & haſtis, & telis, pulſa re- ſonabant,

Mars Troianis auxilio uenit.

Digitized by Google

ſonabant,mucrones autem corpus perrumpebant. Porro Mars horridus,multo rigabatur ſanguine,utrinq; autē alius alio cumulabatur pugna cæſus, nā æquo Marte præliabantur, ut cum uirentes ætate homines in fertili loco, campū uitibus cōſitū,ſparſim ferro ſecant,his tū æquale opus cōtentione increſcit, ubi nimirū & ætate & uiribus ſint pares,ſic tū illis utrinq; triſtes pugnę lāces, æquali diſcrimine propendebant;nam Troiani inuſitato quodam pectori indito robore, gradum figebant, freti intrepidi Martis fortitudine,Grçci contrà,armipotentis Achillis filio, uerum maximis ſe mutuo ſtragibus affecère, pernicioſa autē per medios uerſabatur Bellona,humeris & manibus triſti tabo imbutis,nā illi grauis defluxit membris humor,neutri tamē parti ſubſidio erat, ſed æqua pugna oblectabatur, uerita in animo ſuo & Thetim & diuum Martem, hic Neoptolemus Perimedem illuſtrem uirum interfecit,qui habitauit iuxta nemus Sminteſum,deinde & Ceſtiū,& bellicoſum Phalerum,& fortē Perilaum, & formoſum Menalcem, quem Iphianaſſa ad Cillæ montis pedem genuit, Techneenti regi fabricæ perito, ſed hic domi ſe tenuit,in chara patria,

uerum

Digitized by Google

uerum non datum eſt filio frui, nam mortui laborem & opera omnia poſtea diuiſerant, quibus illorum hęreditas uenire ſolet, qui liberis carent. Cęterũ Deiphobus orco demiſit Lyconem, & Meneptolemum, paulo ſupra inguina feriens, at omnia inteſtina haſtæ circumplicita effundebantur, & tota aluus proruit, deinde Aeneas Damantem trucidauit, qui antea habitauit Aulidem, & Arceſilao comes uenerat ad Troiam, ſed non uidit denuo charam patriam. Præterea Euryalus domuit Aſtreum, iaculo miſerabiliter uibrato, cuius ſtatim triſtis mucro per pectus traijciebatur, & uentriculi pręſecuit meatus, exitiũ uiro adferens, nam cibaria cruori miſcebantur; at non magnum diremit interuallum, ubi magnanimus Agenor inuaſit Hippomenem, bellicoſi Teucri ſocium, impetuoſe ad clauem feriens, animus ſimul cum cruore membris exilijt, & exitialis illum circumfudit nox, tum magno Teucer afficiebatur luctu, ob interfectum ſociũ, & uelox in Agenorem torſit iaculum, ſed non tetigit illum, ut qui nonnihil declinauerit: incidit autem in bellicoſi Deiphantis, qui in propinquo erat, ſiniſtrum oculum, & per dextram aurẽ emicuit, ac papillã diuerberabat, quo-

niam fata triſte telum, quo lubitum fuit, im pulerunt. Porro hic in pedes erectus ſubſi-lijt, at ille alterum torquens telum, iugulo il liſit, & in aduerſum irruens, ceruicis neruos præſecuit, tum dura mortis neceſſitas incu-buit. Cæterũ alius alij exitium ſtruxit, oble ctabãtur autem Parcæ & Interitus & triſtis Contentio, magna animi prõptitudine ela-ta, magnum ſuſtulit clamorem, Mars autem contra uociferabatur horrende, & Troianis magnam attulit fiduciam, Græcis autem fu gam, quia cõcuſſit phalanges, ſed Achillis fi lium, fugę ac formidinis impleri nõ potuit, uerũ hic immotus pugnã capeſcebat forti-ter, quoniã alium ſupra aliũ ſtrauit, ut quan do muſcis lacti inſultantibus, tenellus puer manum illidit, hæ autem uerbere paulatim domitæ ferè aliunde aliæ animũ exhalant, puer uero magnam ex ea re uoluptatẽ acci pit: ſic quoq; præſtans duri Achillis filius, oblectabatur ſtrage, quã ędebat, nullo, Mar tis Troianis opitulantis, metu concuſſus, nã aliunde alium proſtrauit, impetum inuecta rum turmarum ſuſcipiens, non ſecus, ac ma gni montis iuga, irruentes uentorum turbi-nes: ſic ille manſit intrepidus, at Mars illi ſic efferueſcenti ſuccenſuit, & futurum fuiſſet,
ut

ut abiecta nube, contra illum in præliũ deſcendiſſet, niſi Minerua olympo exiliẽs, ad opacam Idam ſe corripuiſſet: tum terra & ſonora Xanthi fluenta, metu tremebant, timor etiam cõminuit nympharum animos, nam metuebant Priami urbi, at tum fulmina immortalibus armis, magni Iouis animũ aperuerunt, nã horridi dracones, ab immortali ſcuto magnam ignis uim exhalabant, & deſuper nubes attigit diuina galea. Proinde pro nihilo duxiſſet, cum acri Marte repente manus conſerere, niſi Iupiter utrũq; metu impleſſet ex alto æthere triſtia ciens tonitrua, Mars autem ſe prælio ſubduxit, & conceſſit in brumalem Thraciam, nec ſibi amplius curę erant Troiani, nec ipſa quoq; Minerua diutius in Troianorum campo cõſpiciebatur, ſed petijt ſacrum Athenienſiũ ſolum, nec amplius de pugna cogitabat, deficiebant enim Troianis uires, at Græci magno belli furore inflammati, cedentium ueſtigia premebant, perinde ac uenti urgẽt celeres naues, uaſtabũdas maris undas ſulcantes, aut ut in ramos uis ignis ſęuit, aut in ceruas agiles per montes canes, prędæ cupidi, ſic Græci in hoſtes impreſſionem fecerunt, quia illis Achillis filius, haſta animos accendit,

dit, mactans quēcunq; in pugna deprehendiſſet, at hi præ fuga ducentes anhelitum, ſubierunt alta urbis mœnia. Cæterum Græci, Troianis fuga in urbē compulſis, parum à pugna relaxati ſunt, non ſecus, ac paſtores agnis in ſtabula coactis, aut ut faciunt boues laſſitudine cōfecti, cum onere preſſi ſurſum per confragoſam rupē eluctati ſunt, crebros ſub iugo ducentes anhelitus: ſic Gręci in armis reſpirarunt laſſitudine ſoluti, turres oppugnare cupidi, quas magnis cateruis cingebant, hi autem ſub portis, curribus munitis, in armis expectabant irruentem uirorū impetum, perinde ac paſtores ſtabulis cōtinet ater turbo, cum tempeſtas fulmine & aqua & crebris coacta nubibus excutitur, tum hi magna licet cupiditate accenſi, ad paſcua nō procedunt, tantiſper dum tempeſtas ſedata fuerit, & fluuij magno ſtrepitu præcipitati quierint: ſic iſti muris ſe tutabantur, hoſtiū minas reueriti: populus autem effuſo curſu urbem petijt, ut quādo pręp etes ſturni, aut graculi conglomerati, ad oliuæ fructum feruntur, ſuauis edulij cupidi, haud ſane iſtos iuuenes uociferantes in fugam agere potuerunt, priuſquàm edendi amorem cōpreſſerint, nam fames propudioſum animum ex-

timulat

timulat:ſic Græci Troianæ urbi tũ circumfundebantur, impetuoſe portis illapſi, excidere cupientes infinitũ magnanimi Neptuni opus, nec Troiani certe pugnæ obliuiſcebantur, etſi magno perculſi metu, ſed eo etiã rerum articulo deprehenſi in propugnaculis ſubſiſtentes, continuum exudabant laborem, nam indefeſſis manibus torquebant, & ſaxa, & uelocia iacula, in hoſtium catervas, quãdo eis Apollo uires oneri pares indidit, ſiquidem illi ſemper in animo erat bellicoſis Troianis ſubſidio eſſe, idq́ꝫ cauſa interempti Hectoris: hic uero Meriones acerbum emiſit telum, & attigit Philodamanta fortis Politæ amicum, parum infra maxillam, & gutturi telum infigebatur, ceciditq́ꝫ in morem uulturis, quem acuto telo iaculatus è ſaxo iuuenis exitio dedit: ſic ille celeriter de turri præcipitatus eſt, & animã profundebat, armis ſuper cadauer ſonantibus, ob quod in riſum ſolutus fortis Moli filius, aliud emiſit iaculum, magno accenſus ardore deijciendi Politem patientis Priami filiũ, ſed ille alio corpus detorquens celeriter effugijt, nec illi telum decorũ perſtrinxit corpus, ut quando nauis ſecundo uento prouecta maritimum iter capeſſit, & nauita aſpe-

Digitized by Google

ram uidens in fluctibus petrã, nauem auerterit, cupiẽs hanc ſubterfugere, manu detorquens clauũ, quo illi uiſum fuerit: uis autem parua magnam arcet calamitatẽ, ſic ille prę uiſo lœthali iaculo ſe exitio ſubtraxit. Porro hi ſemper prælio confligebant, muri autem cruore rubeſcebant, & turres quoque & propugnacula, ubi Troiani Græcorũ telis conficiebantur, nec his certe incruenta omnino erat pugna, nam & horũ multi terram ſanguine imbuerunt, quia magna imminebat pernicies, utrinq; cadentibus. Triſtis autẽ Bellona magnopere oblectabatur, mouens Contentionem Belli ſororem, & certe Græci rupiſſent portas, & muros Troię, nam immenſo quodã robore efferebantur, niſi ſtatim uociferatus fuiſſet præclarus Ganymedes è cœlo deſpiciens, nam ſupra modum metuebat patriæ, Iupiter pater ſi uere è tua ſtirpe genus duco, nam tuo mandato deſerta illuſtri patria, ad ſuperos tranſlatus ſum, ac immortalitate donatus, quare me magno mœrore affectum iam exaudi, non enim potero oculis perluſtrare, ut meã patriam hoſtilis hauriat ignis, ac genus infando bello extinguatur, quo nullus eſt acerbior luctus, ſiquidem illud eſt miſerrimum

& acerbiſſimum, cum quis ſuam patriã hoſtium manibus collapſam uideat: hæc cum maximis ſuſpirijs ædidit præclarus Ganymedes, tum Iupiter ipſe maximis nubibus occulta uit inclytã Priami urbem, & perniciosa pugna caligine inuoluebatur, nec horum quiſquã oculis notare potuit, ubinam urbis muri ſiti eſſent, nam ſubditis nubibus prætexebatur continuo, circum autem toni trua & ignes nubibus eliſi omnia miſcebãt, Greci uero audito Iouis ſonitu, ſtupore defi gebantur, inter quos Neſtor magna uoce, Græcorum, inquit, duces, certe ſoluũtur no bis uires, cum fortibus Troianis ipſe Iupiter auxiliũ ferat: magna certe nobis impen det calamitas, ſed agedum noſtras naues citius adeuntes, laborem & acerbã pugnam remittamus, ne Iupiter magna inflammatus ira, omnes incendio abſumat. Proinde & hiſce prodigijs obſequamur, nã cõſentaneum uidetur obſequi, quia inter ualidos deos & imbecillos homines uiribus longe præminet, ſiquidem perfidis Titanibus excandeſcens, magnam uim ignis cœlo diffudit, deſuper autem uniuerſa terra incendio conflagrauit, & latus Oceani fluxus ex imo exæſtuauit, etiam donec ad ipſos terminos per-

uenerit,& amniū latè admodū fluentiū fluxus exiccabantur,abſumebantur quoq; quę cunq; altrix terra produxerit folia,aut quęcunque immenſus nutriuit pontus,aut quæ perennium fluminum undę. Ob illos uero immenſus æther fumo & fauilla occultabatur,terra autem plane enecabatur , quare & hodie Iouis uires metui,proinde nos ad naues corripiamus , quia propugnat hoc die Troianos Iupiter . Porro impoſterū nobis etiā gloriam cōciliabit, nam ipſa dies quandoq; parens, quandoq; nouerca, nec etiam adhuc in fatis , ut illuſtris ciuitas exitio detur,modo uerum ſitCalchantis uaticinium, quod olim omnibus collectis Græcis ædidit,futurum quippe, ut decimo demū anno deuaſtemus Priami urbem. Vt dixit,hi ſeorſum illuſtri omiſſa urbe pręlio ſe eduxerūt, Iouis minas formidantes , obſecundabant enim uiro antiquitatis non ignaro, at ne ſic quidē neglectui habebant in prælio cæſos, ſed illis iuſta exequebantur , prælio extractis,non erant enim illi nebulæ amictu obſepti , ſed alta urbs & muri inacceſſi , apud quos multi tum Troianorum tum Græcorum Marte ceciderant.Cęterum cum ad naues uentum erat,bellica arma reponebant,

& ingreſſi fluctus Helleſponti ſudorem & cruorem abſtergebant, tum ſol occidit, ac nox terram premebat, & mortales ab opere auertit. Porro Græci fortē bellicoſi Achillis filium, eodem habebant honore, quo patrem, hic ſupereffundenti elatus lætitia, in regum caſtris cõuiuabatur, non enim labore grauabatur, quia Thetis eius membris ęrumnoſas exemit curas, & indomito ſimilē reddidit. Vbi uero epulis fortem expleuit animum in patris ſui tentorium ſe recepit, ubi eum amplectebatur ſomnus, Græci uero ante naues quietem capiebant alternis uicibus excubias agentes, magnus enim illis iniectus erat terror, ne Troiani aut bellicoſa auxilia nauibus ignem iniȷcerent, & omnē ſpem reditus amputarent, ſic quoq; in Priami urbe Troianorũ populus circa portas & mœnia quiete alternis uicibus fruebãtur, triſtes Græcorũ minas formidantes.

In

IN NONVM LIbrum argumentum.

TRoiani, ut cæſos prælio liceat ſepulchro condere, inducias impetrant, deinde feruide utrinque prælium initur, ſed nemo Neoptolemi impetum ſuſtinere potuit. Proinde Apollo caliginoſa nebula obiecta, proſpectum ademit, ut Troiani ſe tuto in urbem reciperẽt: uerum cum cerneret, ne ſic quidem Neoptolemi ſæuitiem refrenari, magno ſublato clamore, Troianis animos addere, ac Græcis formidinem inijcere conabatur, ſed Neoptolemus nihil tum etiam remiſit de impetu, quare ira inflammatus Apollo, eodem, quo patrem, telo, eum quoq; deijcere deſtinabat, uerũ Neptuni monitu deſtitit, & in cœlum ſe recepit. Tum Græci à prælio deſiſtunt, quia ex Calchante didicerunt Troiam capi nõ poſſe, niſi Philoctetes, in Lemno deſertus, ſit præſto. Quare Vlyſſes & Diomedes eo mittuntur, ut Philoctetem adducant, quem cum Græcorum exercitui reddidiſſent curauit Podalyrius.

Digitized by Google

QVINTI CALABRI DERELICTORUM ab Homero, liber nonus.

TVM orta aurora tenebræ pellebantur, & ęther immenſus nouo lumine eniteſcere incipiebat, tũ quoque infinitę Grę corũ copię campum oculis perluſtrabant, pulſis autem nubibus Troię arcem clare cernebant, quare magna heſterni prodigij admiratione tenebãtur. Verum Troianis non erat cõſilium ante urbem in aciem ſuos educere, nam magno metu omnes perculſi erant, inter quos Antenor deorum regẽ precabatur, Iupiter, inquiens, Idæ aut fulgido cœlo imperans, exaudi me precantem & impetuoſum uirum auertas à noſtra urbe, male nobis cogitantem, ſiue hic Achilles ſit, nec Plutonis regnum ſubijt, ſiue alius quiſpiam Græcorum illi uiro ſimilis, alij enim per urbem diuinæ ſtirpis Priami multi exitio dantur, nec ulla mali eſt profligatio, ſed cædes ac ſtrages magnis ſemper auctibus creſcunt. Iupiter pater nulla te iam tangit cura pereuntium Troianorum,

ſed

ſed prorſus in obliuionem filij tui Dardani ueniſti, ac Græcis interim ſubſidio es, enim uero ſi tibi prorſus ſtat ſententia, Troianos miſeris modis à Græcis euerti, ſubito id effectum reddas, nec nobis longo tẽpore dolores ſtruas: ſic dixit, enixè precatus. Hunc autem exaudijt cœlitus Iupiter, id quidem ſtatim effectum reddens, aliud uero omnino non erat perfecturus, hoc nempe illi annuens, ut multi Troiani ſimul cum ſuis liberis lœtho darentur, at non futurum erat, ut bellicoſus Achillis filius à magna urbe pelleretur, quin potius illũ excitauit, quoniã in animo habebat rem gratã facere, ac gloriam cõciliare prudẽti Thetidi. Verũ cũ hæc animo uerſaret deorũ præſtãtiſſimus, interim Græci & Troiani cæſos in prælio ſimul cũ equis concremabant, inter urbem & Helleſpontum, & pugna remittebatur: ſiquidem Priamus preconem Menetem ablegauit ad Agamennona, & ad alios omnes Græcos, ſupplicatum, ut cadauera ſepultura liceret afficere. Porro hi dicto audientes erant, reueriti defunctos, non habent enim illi ſimultatem ſibi comitem: proinde mortuis multas erexerunt pyras. Quo facto Græci ſe ad ſua caſtra, Troiani uero ad opulentã Priami au

lam

Digitized by Google

lam ſe receperunt, magno affecti mœrore, ob cęſum Eurypilum, nam hunc eo loco habebant, quo Priami filios, quare procul ab aliȷs eũ ſepelierũt ante portam Dardaniam, ubi uorticoſus amnis pluuiȷs auctus aquis, magnos euoluit fluctus. Cæterum Achillis filius ad patris ſui tumulũ uenit, exoſculabatur autẽ, lachrymis diffluẽs, elegantẽ defuncti patris columnam, & crebra trahẽs ſuſpiria, in hæc uerba prorupit, Salue pater, etiã ſi ſubieris domos alta terra & caligine merſas, nulla tamen obliuio delebit animo meo tui defuncti memoriam. Vtinam te incolumem inter Græcos offendiſſem, quia fortaſſis mutuo animum oblectãtes ex ſacro Ilio deprędati fuiſſemus immenſam opulentiã, nunc aũt nec tibi tuũ filiũ, nec mihi meũ patrẽ incolumẽ fas eſt cernere, q̃uis id impenſius cupierim, attamẽ te auulſo ac in mortuorum contuberniũ relato, adhuc tuã haſtã & tuum quoq; filium in prælio formidant hoſtes, & Gręci magno perfuſi gaudio intuentur, tibi & corpore & ingenio & rebus geſtis parem. Sic dicens feruidas genis lachrymas abſterſit, & citato gradu cõceſſit ad magnanimi patris nauem, non quidẽ ſolus, ſtipabant enim illũ duodecim Myrmidones,

Phenix

Phenix autem ſenex inter illos ſequebatur, acerbè ingemiſcens ob Achillem præclarum, tum nox terram prætexit & cœlũ inuadebant ſydera; hi uero cœnati quietem capiebant, deinde aurora ſurgebat. Porro Græci arma induerunt, unde procul coruſcabat ſplendor, cœlum uſq; pertingens, & ſtatim ſe pleno agmine portis eduxerunt in morẽ niuis, quæ denſis brumali tempore nubibus profunditur, ſic iſti mœnibus effundebantur, & horrẽdus oriebatur clamor, terra autem gemebat circa euntes. Cæterum Troiani audito clamore, & populo conſpecto ſtupore defigebantur, nam omnes animo deijciebantur, exiſtimãtes iam mortem inſtare, ſiquidem hoſtiles turmæ in morẽ nubium quaquauerſum cõſpiciebantur, arma autem uiris ſe mouentibus ſtrepitum ædebant, & magna uis pulueris pedibus excitabatur, & tum Deiphobus ſiue deorũ quiſpiã eius animo fiduciam iniecerit, eumq́ ipſum imperterritũ reddiderit, ſiue ſuus ipſi animus ad pugnam faces ſubdiderit, ut à patria triſtes hoſtium turmas haſta depelleret, magnifica hac oratione Troianis animos euibrare nitebatur, Agedũ amici, bellicoſum animum pectoribus aſſumite, ob oculos ponentes,

quanta

Digitized by Google

quanta mala triſtis belli exitus captiuis mortalibus ſoleat adducere: nõ enim de Alexandro ſolo aut Helena deſceptatur armis, ſed urbs, uxores, ſuaues liberi, obſeruãdi parentes, omnis imperij noſtri ſplẽdor, poſſeſſio, ac amica patria petunt hoc certamine, quæ me prælio cæſum ſinu ſuo potius accipiat, quàm uidere cogerer patriam hoſtiũ telis excindi, non enim aliud maius malum exiſtimo miſeris mortalibus parari poſſe, proinde profligato triſti metu, mecum forti animo ad acerbum prœlium uos accingite, non enim Achilles uiuus nobiſcum pugnã conſeret, quia ipſe fatali igni abſumptus eſt, ſed eſt alius Græcorum, qui nunc populum in unum cogit, Achillem autem plane uiribus repræſentat, neq; alium quenquam Grœcorum formidate, pro patria pugnantes, quare ne declinemus certamen Martiũ, etſi multos antea labores adiuerimus: an id nõdum animo ſubijcitis, ex labore ærumnoſis mortalib⁹ felicitatẽ & opulentiã naſci, deinde Iouem poſt ſæuos uentos, & grauẽ brumam, aëri ſerenitatẽ inducere. Prœterea ex pernicioſo morbo ſalutẽ, ex bello pacẽ prodire. Porro hæc omnia uiciſſitudine quadã fiũt. Vt dicendi finem fecit, hi certe in bellũ in-

Digitized by Google

flammato ſtudio incubuerũt, omnia per ur bem ſtrepitu miſcebantur, iuuenibus quip pe ad triſtẽ pugnam ſe aptãtibus, huic uxor metu ob imminentẽ pugnam perculſa, arma abeunti congeſſit, lachrymis diſtillans: at il li parui filij ſedulo officio circa patrem diſtri cti, omnia inſtrumenta bellica attulerunt. Porro hic interdum diſcruciabatur animi il lis plorantibus, tum iterum riſit filiorũ ſuo- rum præſentia exhilaratus, & cordi erat ma gis pro ſe & filijs pugnæ labores exantlare, alteri iterum ſenex doctis manibus circum poſuit arma, multis uerbis cohortans ſuum filiũ, ne cuiquam in bello cederet, & pectus cicatricibus fœdatũ denudauit filio, multis impreſſum ſignis priſtinæ militiæ. Cæterũ cum omnes armis ſe propè communijſſent urbe effundebantur, magno triſtis belli ſtu dio inflammati: tum equites in equites rue- bant, & pedites peditibus exitio uenerant, currus aũt curribus in aduerſum ferebãtur, terra certe ſtrepebat ſonitu in aciẽ ruẽtium, & quiſq; acclamationibus animũ ſuis accen dere nitebatur, tum hi ſtatim concurrerunt, arma circumcirca reſonabãt, & una utrinq; uox triſtis exaudiebatur, magna telorũ uis utrinque emittebatur, celeriter deinde ſcuta

haſtis

Digitized by Google

haſtis, iaculis, gladijs pulſata, immenſo ſoni tu reſultabant. Prçterea etiam multi ſpiculis uelocibus uulnerabantur, arma uero cruore polluebantur. Porro Iliades è muro ſpectabant acerbum iuuenum conflictum, & omnes metu concutiebantur pro filijs & uiris aut fratribus fundentes preces, imo ſenes canicie uenerandi etiam ſedebant ſpectantes, nam magno curarum æſtu impellebantur, ob charos filios. Verum Helena ſe domi tenuit ſola cum ſuis miniſtris, nam magnus illam pudor cohibuit, hi uero inuſitato quodam labore defatigabantur pro mœnibus, fata autem circumquaq; lætitiam agitabant, & pernicioſa Contentio, magno ſublato clamore, utriſq; animos concitauit: puluis interea interemptorum cruore polluebatur. Ceciderunt autem prælio aliunde alij, hic Deiphobus ualidũ interfecit aurigam Hippaſidem, qui curru diffluens inter cadauera dilapſus eſt: rex autem magno animi cruciatu affligebatur, metuit autem ne & ſe quoq; diutius lora manu tenentem trucidaret prçſtans Priami filius, uerum Melanthius non habuit illum neglectui, & ſubito in currum exilijt, & equos extimulauit, lora intendẽs, habuit autem Eucleri ſcuticã, & impulit ha-

ſta feriēs. Proinde his omiſſis, Priami filius aliæ multitudini ſe immiſcuit, & impetuoſe multisdiē adduxit extremū: ſiquidem perni cioſo turbini ſimilis audacter in hoſtes inuehebatur, huius autem manibus infinita hominum multitudo proſternebatur, campus uero ingemuit ob tantam ſtragem, ut quando per longos montes frondator, cum feſtinatione ualles petens fruticantem præſecat ſyluam, ut carbones conficiat, ſub terra conditis cum igni, longis haſtilibus, alia autem aliunde collapſa, rupes deſuper operiunt, ille certe magnam ex ſuo opere uoluptatem percipit: ſic quoq; acribus Deiphobi manibus turmatim deiecti Græci, in ſe mutuo corruebant, & hi quidem Troianis miſcebantur, hi uero fuga ſe corripiebant per latū Xanthi fluxum, quos in undas præcipites egit Deiphobus, nec ullum cedendi finem fecit, ut quando ad piſcoſi Helleſponti ripas rete extrahunt ærumnoſi piſcatores, ſinuatim ad terrā. Porro adhuc fluctibus deprehenſos, aſſilit iuuenis, flexili manibus arrepta haſta, triſti afficit cæde, aliunde alium deijciens, quemcunq; offenderit: cæde autē rubeſcit aqua. Sic quoq; huius manibus circumquaque Xanti fluenta cruore rubeſcebant,

bant,

bant,ingemeſcebant autē cadauera,nec quo que Troianis incruenta hæc pugna fuit,ſed inter alias phalāges maximam illorum ſtragem ædere non ceſſauit præſtans Achillis filius. Porrro Thetis id intuita tantum obleſtationis ceperat ex ſuo nepote, quantum mœroris ex filio:ſiquidem huius haſta multus exercitus ſimul cum equis humi procūbebat,at hic ſemper fugientium tergis inhærens cedebat,ubi quoque Anidem bello clarum uirum trucidauit,qui equis uectus in illum incidit,uerum nihil illi commodare potuit ars equeſtris, nam ei fulgentē haſtam in uentrem egit,cuſpis autē ad dorſi ſpinam uſque penetrauit, tum inteſtina effundebantur, & repente ſuum diem obijt ad ueloces equi pedes in terram diffluēs: deinde etiam Aſcanium & Aenopa impetijt,huic quidem per ſtomachum ad os uſq; haſtam illidens, huic autem per gulam,ubi q̃ certiſſima ſemper mors eſt mortalibus: deinde & alios multos quicunq; ſibi obuiam ferrentur, maſtauit: nam quis uerbis cōplecti poſſet omnes, quos eo prælio Neoptolemus lœtho dedit,nec dum illi membra fatigatione ſoluebantur, ut quando iuuenis aliquis in florenti campo,totum diem ualidas operi ma-

Digitized by Google

nus intendens, in terram proſternit immenſum oliuę fructum, uirga aggreſſus: operuit autem omnem loci ſuperficiem, ſic eius manibus in pręceps agebatur immenſa multitudo. Porro Diomedes ab alia parte, & Agamennō & alijquoq; Gręcorũ proceres, magnos promptiſſimo animo labores exhauſerunt, triſti prælio, nec ulli Troianorum ductores metu deiecti erant, ſed & ipſi quoque magno animi feruore pugnam capeſcebāt, & prælio cedentes uiros ſemper attraxerũt, uerum multi nullam ſuorum ducum rationem habentes, ſe fuga proripuerunt Græcorum impetũ formidantes, at ſero tandem animaduertit præſtās Achillis filius ad Scamandri fluenta Græcos denſius cadentes. Omiſſis igitur illis, quos antea perſequebatur, effuſa fuga urbem petentes dedit Automedonti eo impellendi negocium, ubi magnæ Græcorũ turmæ ſternerentur, qui etiā ſtatim audiens illi dicto fuit, & eo ſcutica impulit ualidos equos, illi autem impetu ferebantur per cadauera fortē uehentes regem, qualis ad prælium rapitur Mars mortalium pernicies, uectus equis, membra autem circum horrent ruentis, & diua circum dei pectus arma intonant, ignem coruſcatione referentia

ferentia

ferentia, talis Achillis pręſtans filius, ſe egregio Deiphobo obuiū tulit, magna uero pulueris uis, equorum pedibus tollebatur, uidit autem illum uir fortis Automedon, & animaduertit quis eſſet: tum ſtatim ſuum regem hiſce uerbis compellat, præclarum uirum indicans, O rex, hic eſt Deiphobi exercitus, & ipſe quoque Deiphobus, qui antea ſemper tuum patrē formidauit, at nunc aut deus aut dæmon aliquis egregiam illius pectori fiduciam indidit. Sic dicenti nō reſpondet Neoptolemus, ſed eo magis equos urgebat ut q̄ citiſſime pereuntibus Græcis acerbum fatum auerteret, ſed cum non procul à ſe mutuo abfuerūt, tum certe Deiphobus quàmuis bellum requirens conſtitit, perinde ac ſæuiens ignis cum aquæ admouetur, obſtupuit enim intuitus magnanimi Neoptolemi equos, ſiue horrendum filiū patre nihilo deteriorem: at animus illi in pectore æſtuabat, nunc quidem in fugam ſe conuertere, nunc iterum cum uiro pugnam cōſerere, ut ſi aper in montibus à tenellis ſuis filijs lupos arcens, aliunde leonem proruentem uiderit, illius ſtatim impetus refringitur, nec ultra progredi, nec quoq; pedem referre audet, acuit tamē dentes ſub maxillis ſpuman

tes: ſic Priami filius cum curru & equis manſit immotus, multa animo uerſans, & haſtã tractans manibus, hunc alloquitur ſæui Achillis filius, Priamides cur tanto furore in deteriores Græcos inuectus es, qui tuas exhorrentes minas in fugã conuerſi ſunt, cum irrueres: tu uero tibi perſuadiſti te multo præſtantiſſimum eſſe, ſed ſi pectori robur adeſt, periculum facito in conflictu, q̃ intolerandus ſit noſter impetus. Sic loquutus rapiebatur, ut ceruus in leonẽ, uectus equis, & curru ſui patris, illumq́; ſtatim haſta ſua ſimul cum auriga deieciſſet, niſi Apollo cœlitus atram diffudiſſet nubem, atque exitiali prælio ſubduxiſſet, & ante urbem ſtatuiſſet, ubi & alij Græcorum fuga perlati fuerant. Porro Achillis filius in uacuũ aëra illiſa haſta in hæc prorupit uerba, Heus canis effugiſti meas uires, nec tuum tibi robur, q̃uis cuperes, opem ferre potuit, deorum autem quiſpiam mihi oculos immiſſa deſuper caligine obduxit, & te exitio ſubtractum, ut nebulam diſparſit, & diſſolutus eſt in apertum aëra: uerum ſubito apparuit campus & omnis quaquauerſum terra, Tum animaduertit Neoptolemus Troianos procul abeſſe circa portas Scæas: ferebatur autem patri ſimi

lis

lis hoſtibus obuiam, qui illum irruentē formidabant, non ſecus, ac nautæ procelloſos fluctus ingruentes horrent, cum uento exagitati in altum ac latum tolluntur, ac pontus turbine furit, ſic illo aduentante metus inceſſit Troianos. Proinde tali oratione amicorum animos accendere nitebatur, Auſcultate amici, & intrepidā pectoribus fiduciam induite, ut decet uiros fortes cupientes pręclaram manibus uictoriam auferre, & bellicam ſibi parare gloriam: agite igitur aſſumptis animis etiā ultra uires, laboremus tantiſper dum ſolo ęquemus celebrē Troiam, & expleuerimus deſiderium: eſt enim cum probro cōiunctum longo hic tempore manentes re infecta abire, imbelles ut mulieres: mihi certe ſatius fuerit animam profundere, q̃ ignaui nomē militis ferre. Vt dicendi finem fecit, maiori animi feruore ad Martis opus ferebantur, & in Troianos impreſſionē fecerunt, qui ijdē magna animi promptitudine pugnam cōſerebant circa urbem, interdum etiam è muris extra urbem, nec ullum graſſandi modum fecit uir impetuoſus, cū quippe pari omnes deſiderio æſtuarent, Troiani quidem ut exitialem hoſtium exercitum muris arcerent, Gręci uero ut ur

R v bem

bem euerterent:proinde fatalis omnes oppreſſit calamitas. Tum uero Apollo Troianis opem ferre cupiens cœlo dilapſus eſt, nubibus obuelatus, quē repente celeres uentorum turbines ferebant, aureis inſtructum armis, at qua deſcēderat uia, fulminis in morem ſplendebat, & pharetra ſonabat humeris, infremuit æther diuinis modis, & terra magno ſonitu reſultauit, ubi humo pedes circū Xanthi fluenta impreſſit, horrendum autem ſuſtulit clamorem, Troianis quidem fiduciam, Græcis uero terrorē inijciens, ne cruenta pugna ſe diutius continerent, nec id latuit impetuoſum Neptunum, ſed Græcis iam difficultate rerū laborantibus robur inſpirauit, proinde exitialis orta pugna immortalium conſilijs: utrinq; autem infinitæ iuuenum tribus orco mittebantur. Proinde in Græcos ira percitus Apollo, animo uerſabat telo deijcere temerarium Neoptolemum, quo antea ipſum Achillem, huius autem animā alites, quæ à ſiniſtra clangorem ædebant, diſtrinxerunt, & alia quoq; prodigia multa, ſed iracundia exardeſcens, non erat morem geſturus prodigijs, quod non fefellit Neptunum diuino aēre obſeptū, ſub pedibus autem cōmoti dei atrā mouebatur

terra,

terra, & tali oratione adorſus eſt Apollinē, cupiens eum retrahere, Refrenato, inquiēs, mi fili, animi tui impetum, ne magnū Achillis filium neci dederis: nam illo interempto non admodū ipſe Iupiter gauiſus fuerit, me certe & cęteros marinos deos maximus inuadet luctus, ut antea cæſo Achille: proinde te pugna educito, & cœlum petas, ne mihi ſtomachum moueas, nam repente dirupta magnæ terræ uoragine, ipſum Ilium cū ſuis muris omnibus ſub altas mergā tenebras, tum animum tuum inceſſet dolor: ſic fatus eſt. At ille reueritus ſui patris fratrem, dein de etiā metuens ciuitati & forti populo ſeceſſit in magnum olympum, at iſte in mare, tū alij prelio conflictabantur in mutuam perniciem incumbentes. Contentio autem oblectabatur pugna, dum Calchantis monitu ad naues ſe Græci reciperēt, & in pugnę obliuionem adducerentur, non enim in fatis erat Troiam excindi poſſe, priuſquàm Philoctetes in Græcorum cœtum ueniret, calamitoſi belli peritus, atque id ex fatidicis animaduertit auibus, uel in uiſceribus inſpexit, erat enim ſumma uaticinandæ artis peritia imbutus: nam, ut deus, cognouit omnia, idcirco huius acquieſcentes ſententię, bello

ceſſante

Digitized by Google

ceſſante, Atridæ naui in Lemnũ ablegarunt Diomedem & Vlyſſem: hi igitur ſtatim ad Vulcani urbẽ per Egæum mare curſum tenentes appulerunt, nempe Lemnũ uitibus conſitam, ubi prius graue ſuis uiris machinatæ ſunt exitium mulieres, magno iræ motu percitæ, quia ſe illis deſpicatui eſſe cernerent, quod cum Thracijs ancillis corpus miſcere non detrectarent quas haſta & fortitudine in ſuam poteſtatem redegerunt, deuaſtata Thracia: hæ igitur magno zelo pectori illapſo animis intumuerũt, & charos per ſuas domos maritos acerbo fato interemerunt, nec mĩa ſunt motæ, & ſi his intactæ ac primis ominib⁹ iunctæ fuiſſent, quia uiri aut fœminę animus molleſcere neſcit, quando in zelotypiæ morbum inciderit, ſiquidem ualidi exagitant dolores, hi igitur una nocte perniciem intulerunt ſuis uiris, & omnem ciuitatem orbitate affecerunt indito pectori intrepido animo & magno robore. Cæterum iſti cum in Lemnum appuliſſent ſiue ad cauum lapideum antrũ, ubi decumbebat Philoctetes, tum certe magna cõcitabantur admiratione, ſimul ac uidiſſent uirũ acerbis excarnificari doloribus, duro pauimento decumbentẽ. Porro magna plumarum

rum uis eius lecto circumfuſa erat, & alia quoq; congeſſit quo acerbum corpori frigus depelleret, emittens certum iaculũ, quo animus ferebat, quoniã dira eum fames inuaſerat, & hæc quidem comedit, hæc uero pernicioſo uulneri ſuperpoſuit, ut atros cruciatus leniret. Tum Aridæ capiti comæ circumfundebantur, pernicioſæ feræ in morẽ, quam triſtis execrationis dolus ceperit nocturno tempore, citato greſſu incedentem, hæc tum neceſſario malo oppreſſa, ſummũ pedis indefeſſis dentibus cedens, in ſuum ſe antrum proripit, porro fames & acerbi dolores pari illã libra premunt, ſic hunc in magno ſpecu pernicioſus domat cruciatus, ac totum corpus marceſcere facit, oſſa ſola tegebat pellis, & ſolus clamor maxillis aderat, dira illuuie cõfecto, ſiquidem eum acerbus domuit cruciatus, oculi autem concaui ſupercilijs fuere grauiter afflicti, ſolus illum ploratus non deſtituit, quia acerbum illud uulnus ad oſſa uſq; penetrauit, deſuper putredine ſolutum, & graues incubuerunt dolores, ut quando in littore æſtuabundi maris aſperam petram immenſa undarum uis domat præſecans, licet admodum ualidam: at illa contuſa uento & impetuoſo fluxu an

tra

Digitized by Google

tra cauantur eroſa maris undis: ſic illi putre ſcenti uulnus angebatur impreſſum duro telo quod infecit dentibus ſuis pernicioſa hydra, quam aiunt horrendam & nulla profligandam medela, cum illam per humum reptantē uis ſolis ſiccauerit, quare lōge etiam præſtantiſſimum uirum excarnificauit intolerandis ſubactum doloribus, & tabo huic ſemper in terrā diſtillante, polluitur immenſi antri ſolum, quod admirationi futurū eſt poſteris, & eius thoro longa appoſita erat pharetra, telis differta, quorum hęc quidem uenationi, at illa hoſtibus pellendis ſeruabat, quæ imbuit peſtiferum exitialis hydræ uenenum, nec abfuit magnus arcus flexibilibus aptatus cornibus, indefeſſis Herculis manibus fabricatus. Cæterū iſtos cum animaduertiſſet ad latum ſpecus citato gradu concedere, connititur in utrunq; triſtifica tela intendere, graui ira percitus, quia eum antea magna trahentem ſuſpiria deſeruiſſent, uaſto maris littore, & ſtatim animi confluctuationes ad rē contuliſſet, niſi triſtes iras diffudiſſet Minerua, cum cerneret uiros ijſdem moribus præditos, qui eum adierunt dolentibus ſimiles, & ambo in antro concauo aſſidentes illum utrinq; ſciſcitati ſunt de

uulnere

uulnere pernicioſo & acerbis doloribus, qui hiſce ſuos cruciatus ob oculos poſuit, tum & animum addebant, & aſſerebant futurum, ut prompto remedio, triſti eius uulneri & pernicioſo cruciatui occurreretur, ſi ſe ad Græcorum exercitum recipiat, quem ipſum dicebant ægerrime ferre, apud naues & cum hoc ipſos Atridas, nec in quenquam eius rei culpam conferendam, præterquàm in triſtia fata, ſine quibus nemo mortalium in lucem prodit, ſed nullo non uitæ tempore adglomerãtur miſeris mortalibus improuiſa: interdum quidem hominum uires atterentia acerbo animo, iterũ uero in ſublime efferentia, quoniã omnia bona & mala machinantur mortalibus, ubi ſibi uiſum fuerit. Proinde hic in gratiam Vlyſſis & Diomedis facile animũ remiſit à triſti ira, quia mirum in modum antea inflammatus erat ob ſibi illatam iniuriam: illi igitur hunc ſtatim ad naues & fremebunda littora læti perduxerunt cum ſuis telis, & corpus & triſte hulcus cauernoſa ſpongia abſterſum, multa aqua purgarunt, tum paululum reſpirauit: at illi properantes cœnam pararunt famelico, qua & ipſi quoq; in naui fruebantur. Tum nox ſuauis terram premebat, & ſomnus eos

comple-

complectebatur, ac mãſerunt uſq; ad orien tem auroram in littore circumfluæ Lemni: at prima luce ſolutis retinaculis oram ſolue runt illinc properantes. Cæterum Minerua è puppi ſecundum miſit uentum, porro ue lum antennis expandebant nauem dirigen tes, at illa ſecundo uento in mari curſum te- nebat, circumquaque ſulcati fremebant flu ctus, & caua undiq; efferbuit ſpuma, circum autem ruebant frequentes Delphines, flu- ctus ſecantes cani maris uias. Porro hi ad pi ſcoſam Helleſpontum appulerunt, ubi & a- liarum nauium ſtatio erat: gaudio autem dif fundebantur Græci, cum in exercitu uidiſ- ſent quos deſiderabant. Hi igitur nauē egreſ ſi ſunt cupidè: habebat aũt Philoctetes graci les manus uiris impoſitas, illi uero hũc clau dicanti greſſu incedentem ſuffulciebant, ua lidis utriuſq; manibus innixum, ut in loco denſis uirgultis obſito, fagum ui ſemiſectã à frõdatore, aut pinguem picem paululum ſubſiſtentem, quantũ liquit frondator, trun co abſcindens mollem tedam, ut ſit pix cir- cumſecta per montes, hanc autẽ mœſte gra uatam uentus & imbecillitas deijciunt: ſic quoq; uirum hunc intolerando grauatũ do lore, fortes heroës ſuffultũ ducebant in bel-

licoſum

licoſum Græcorũ cœtum, at intuentes om nes miſerti ſunt uiri iaculandæ artis peritiſſimi acerboq́ uulnere preſſi, ſed illũ celerrimè ualidum & à morbo immunem reddidit Podalyrius dijs æqualis, multis ſcite uulneri appoſitis pharmacis, & appellato ſui patris nomine illi animos addens, & Græci omnes celebrantes Eſculapij filium lætis uocibus acclamarunt, & Philoctetem exhilararunt, & oleo circumunxerunt prompte, tum exitialis mœror & ærumna deorũ ſententia euanuerunt, tũ id ſpectantes diffundebantur gaudio, ille uero reſpirauit ab illa afflictione, & pallori rubor ſuccedebat, ac triſti imbecillitati magnum robur: augebãtur autem omnia membra, ut quando ſegetibus augentur arua, quas prius deiectas magnis procellis excuſſus imber diluerit, hæ autem uentis arrectę rident florentes in laborioſis aruis: ſic omne antea doloribus depreſſi Philoctetæ corpus, ſtatim refloruit & profligauit curas omnes, quę illi animum depreſſerunt. Cæterum Menelaus & Agamennon cernentes uirum ab orco in lucem factum eſſe reducẽ, admiratione perculſi ſunt: aſſerebant enim id ſine numine diuum non euenire, nec id falſo quidem, nam illi Minerua

magnitudinẽ lumenq́ꝫ iuuentę purpureum, & lætis oculos afflarat honores, ac is demũ uiſus eſt inter Græcos qui prius anteq̃ hoc malo domitus eſſet, tũ deinde ad opulenti Agamennonis caſtra omnes optimates Philoctetem adduxerunt, & illum laudibus illuſtrantes conuiuijs uenerabantur, at cum cibi & potus illos ſatietas ceperat, tum eum compellat Agamennon, Amice quoniam te, nos mente capti in circumflua Lemno deſeruimus, nec id quidẽ præter deorum ſententiã, ne nobis id grauiter ſuccenſeas: non enim nos ſine dijs fecimus, quin potius ipſi immortales dij in multa nos mala cõijcere uoluerũt, te procul ſemoto, quoniã egregie noſti telis hoſtes deijcere, cum tecum armis diſceptent, at in omni cõtinente & uaſto mari incognitæ ſunt uię, Parcarũ ſententia in uarias deſciſſæ partes, tum crebrę & obliquæ aliæ uerſæ, quibus abripiuntur uenti flatu impulſi, rei bellicæ periti feruntur iuuenes, ui quadã fatali, bonus autẽ ſæpe in malã incidit uiã, & uir malus in bonam. Cæterum dum in terris egeris tuo arbitratu effici nõ poteſt, ut haſce fugias, proinde oportet prudentem uirum, ſi turbine quodam in aſperã uiam agatur forti animo

ærumnam

Digitized by Google

ærumnam ſufferre, cum igitur errore ducti in te deliquimus, immenſis iterum donis id ſarciemus, ſi unquam bene munitam Troianorum urbē ceperimus: proinde in præſens offeremus ſeptē mulieres, & uiginti ſtrenuos equos, in certaminibus uincere ſuetos: deinde duodecim tripodas, quibus nullo non uitæ tempore animũ oblectes, præterea meis tentorijs regio ſemper honore in conuiuio habeberis. Hæc fatus, dedit heroi eximia dona: cui Philoctetes tali oratione reſpondet, Amice, nec tibi nec cuiquam Græcorũ quicquam ſuccenſeo, ſi quis mihi aduerſatus ſit: non enim me latet etiã bonorum uirorũ animũ mutabilem eſſe, nec fas eſt ſemper eſſe aut nimia ſeueritate contractiorem, aut nimia ſtoliditate ſolutum, ſed interdum truci uultu metuendũ, tum iterum ſuaui comitate placentem. Porro nunc nos cubitum recipiamus, ſiquidem cui pugnandi neceſſitas impēdet, ſatius eſt, ut ſomno corpus curet, quàm in multam noctem conuiuium extrahat. Hæc ubi dixiſſet, ſe ſubduxit, & ad ſuorum amicorum tentorium conceſſit, qui ſtatim bellicoſo regi lectũ pararunt, magno animi gaudio delibuti, at ille grato ſomno ad auroram uſq; fruebatur, uerum orta luce nox pellebatur,

tur, & ſolis lumine rubeſcebant colles, & mortales ſe ad opus accingebant. Porro Græci magna pugnæ cupidine flagrantes, hi quidem politas acuebant haſtas, hi uero tela, alij ſpicula, & prima luce & ſe & ſuos equos refecerũt: nam omnes cibo corpora curabant, quibus præſtans uir Philoctetes, hiſce uerbis animos addere nitebatur, Agite prælium iamiam nobis cordi ſit, nec quis ueſtrum ſe nauibus teneat, priuſquàm inclyta Troiæ mœnia diruta ſint, & omnes deuaſtatæ uiæ. Vt dixit, magnum omnes animo gaudium conceperunt, & ſe armis & ſcutis munierunt, & nauibus pleno ſe agmine effundebant, inſtructi & telis & ſcutis bubulo corio obductis, & galeis, & alius alium in ordine fulciebat, nec dixeris illis incedentibus aliũ ab alio ſe motum, adeo certe denſi & ſibi mutuo coaptati erant.

In

IN DECIMVM LI-
brum argumentum.

PVLYDAMAS cernens Græcis nullum diuturnæ obſidionis tedium moueri, ſed uires & animos creſcere quotidie, ſuadet Troianis, ne amplius Grçcis pugnę copiam faciant, ſed mœnibus incluſi uim hoſtiũ arceant. Contrà Aeneas diuerſis rationibus conuincit, id minime ſanum eſſe conſilium, hoc enim pacto futurum, ut intercluſi commeatu, inædia abſumantur. Ad prçlium igitur hortatur, quod acerrime utrinq; commiſſum eſt, & Philoctetes Paridi uulnus telo inflixit. Quo curando, cum incaſſum à medicis ſudaretur, uaticinio redditum eſt, ſolam Aenonem mederi poſſe, Paris igitur ad Aenonem ſe recepit, illa autem contumaciter eum repulit, at Paris in reditu animam efflauit. Tum Aenone pœnitudie ducta, Paridẽ ſequuta eſt. Quem cum à paſtoribus rogo impoſitum uidiſſet, eodem ſe quoque præcipitauit, & ſimul concremata eſt.

Digitized by Google

QVINTICA LABRI DERELICTO-rum ab Homero, liber decimus.

TROIANI extra mœnia cum armis & curribus & equis erant, & concremarunt in prælio cęſos, metuentes, ne Græci ſuorum cadaueribus illuderent. Proinde cum hoſtes uidiſſent certatim ſe ad urbem corripientes, terram mortuis ſparſim iniecerunt, magno enim metu concuſſi erant id uidentes, uerum ita cōſternatos animi, compellat hac oratione Pulydamas, qui magna prudentia cæteris premi-nebat, Amici non amplius pugnæ huius procellam ſuſtinere poſſimus: ineamus igitur conſilium, quo pacto aliquem huius belli cōficiendi modū inuentum demus, nam Græci mora nos uincunt, proinde agedum conſcenſis munitis turribus, maneamus noctes & dies propugnando cōterentes, dum hoſtes Græciā repetāt, aut pro mœnibus ſedentes inglorij tædio enecentur, ſiquidem non ſuppetent illis uires, ut magna mœnia dirumpant, etſi magnos in ea re labores exhaurirent

Puſidamas præliū dehortatur.

Digitized by Google

haurirent: non enim ſunt flaccida deorum immortalium opera, nec quoq; commeatus inopia laborabimus: nā magna uis frumenti in opulenti Priami ædibus recondita eſt, quæ & multis alijs hic collectis aliunde ſatis eſſe poſſet, etiam ad longum tempus, etſi triplo maior numerus nobis expetentibus adeſſet præſidio. Hunc ita cōcionantem iurgio adoritur fortis Anchiſæ filius, Pulydama quonā pacto fertur te ſingulari quadam prudentia prędituum eſſe, qui iubeas in urbe cum præliandum eſſet, mœrore animū excedere, nec certe futurum eſt, ut temporis longitudine tędiū moueatur Græcis, quin potius ignominioſe inſultabunt, terga uertentes ubi uiderint, tum id nobis cruciatū adferet in patria pereuntibus, ſi diutius in iſthac obſidione perſtiterint, nec quis nobis Thebis commeatū deportauerit, ubi mœnibus incluſi fuerimus, nec uinū è Mœonia adferetur: proinde triſti fame miſerè peribimus, ut optimè murus exitiū arceat. Præterea & ſi mortem acerbā & fatum declinare detur, certe animi mœrore conficiemur, proinde filijs & parentibus adiunctis, potius armis dimicemus, profecto Iupiter nobis opē feret, nam eius præclaro ſanguine genus ducimus,

cimus, at ſi huic inuiſis moriendum eſt, magnum erit cum gloria mori pro patria pugnantes, id ſatius q̃ ut mœnibus nos tutantes miſero necis genere abſumeremur. Sic dicentem audientes ſecundo fremitu proſequebantur, tum ſtatim ſe mutuo galeis, ſcutis & haſtis muniebant. Porro Iupiter cœlo deſpiciebat Troianos pugnæ ſeſe aptantes, & cuiq; animos accendit, ut indefeſſam utriſq; pugnam extẽderet, nam futurũ erat, ut Alexander ob uxorem in diſcrimẽ adductus, Philoctetæ manibus succũberet, tum hos in unum deduxit locum. Contentio pugnæ dominatrix, nemini uiſa, nã cruentam humeris nubem obduxit, obambulauit autem magnum mouẽs tumultum, nunc quidem in Troianorum nunc uero in Græcorum cœtum, cui metus & terror intrepidi uenerant comites, auunculã magnanimam illuſtrantes, at illa cupida rem paruam amplam reddiderat: habuit enim adamantina arma tabo polluta, & pernicioſam haſtam in aëra uibrabat, ſub eius autem pedibus, atra mouebatur terra, & horrendũ ignis uaporem, exhalauit magnis clamoribus iuuenum animos confirmans, illi autem ſtatim intellexerunt mouentes prælium, ſiquidem

rem

rem nihili in immenſum ſuſtulit dea, qualis æditur fragor ineunte uere, uentis impetuoſius ſpirantibus, cum frondent ſyluę, ac omnis parturit arbos, aut ut per arida fruteta incendiũ diffunditur, aut cum mare magnum ſonoro uento exagitatũ fluctus attollit, circumquaq; autem immenſi uentorum turbines ingruunt, tũ nautæ metu cõtremiſcunt: ſic quoq; illis irruentibus immenſa ſtrepitu reſultauit terra: nã infeſto certamine concurrerunt, & uir uirum petijt. Porro Aeneas primum Græcorum inuaſit Harpalionem Arizeli filium, Amphinome matre prognatum in regione Bęocenſium, hic autẽ Prothœnorem ſequutus, ad bellum Troianum uenit Græcis ſuppetias, quem Aeneas tenero uentre peruerberato uita priuauit. Præterea etiam Hycalum Therſandri filium acuto iaculo gutturi infixo, quem diua Arethuſa peperit in circumflua Creta, ad Lethei aquas & magno animi cruciatu affecit Idomenea. Cæterum Neoptolemus duodecim ex Troianis ſtatim ſui patris haſta exitio dedit, & pium quidem Cebrum & Arionem & Paſytheũ, Hyſminum, Hymbraſiũ, Chedum, Phlegem Mneſeum: præterea Eunonum & Amphinonum, & Phaſin aut Gae-

num, qui ædes habebat in alta Gargaro, & ornamento fuit pugnantibus Troianis, uenitq́; Troiam cum populo pingui, nam illi & magna & multa pollicitus erat dona Priamus, at ſtolidus non præcepit animo ſuum fatum: nam certe futurũ erat, ut repente triſti prælio ſuccumberet, anteq̃ daretur illuſtria Priami dona auferre, & tum pernicioſum fatum in Græcorum exitium exagitauit Eurymenum, fortis Aeneæ ſocium, nam eius animo magnam indidit fiduciã, ut multis deiectis fatalem diem exitio compleret, domuit etiam aliunde alium immiti feræ ſimilis, ſed illi huic ſtatim locum dederunt, in extremo uitæ, magno animi impetu graſſanti, nec pugnam curanti, & certe illo prælio memorabile facinus perpetraſſet, niſi manus laſſitudine diſſolutæ fuiſſent, & haſtæ cuſpis multum retuſa redderetur: non enim enſi capulus amplius ualuit, ſed fatum hunc confregit, illum uero ad ſtomachum iaculo ferijt Meges, tum ſanguis ex ore ebullijt, ac fatũ ſtatim cum luctu aſtitit, cui interfecto duo Epei famuli, nempe Deileon & Amphion arma diripere nitebãtur, ſed illos tanta promptitudine elatos miſere cadaueri ſuperſtrauit Aeneas, ut cum quiſpiam ueſpas

in

in campum uineis conſitum ingruentes, ad matureſcẽtes uuas mactet, hę certe expirant anteq̃ detur fructus guſtare: ſic iſtos ſtatim interfecit antequàm arma diriperent. Tum Diomedes Menontũ & Amphinoũ interfecit, ambo præſtantes uiros: at Paris inuaſit Demoleontem Hippaſi filium, qui prius Lacedemoniam incoluit ad oſtia altiflui Eurotæ, uenit autem in expeditionem Troicam Mauortij Menelai ſigna ſecutus, hunc Paris interfecit telo per dextram mamillam tranſacto, & anima ſtatim membris dilápſa eſt, deinde Teucer Zechin petijt illuſtrẽ Medontis filiũ, qui in Phrygiã ouibus fertilem habitauit, iuxta diuinum Muſarum antrum, ubi Endimionem apud boues ſomno ſopitum luna deſpiciens cœlo deſcẽdit: magno enim iuuenis amòre ęſtuabat dea, ubi etiam num ſub dẽſis uirgultis lecti extat ueſtigiũ, cui eidẽ circumfuſum eſt lac bubulũ, quod noſtra adhuc ętate admirantùr mortales: nã illud dixeris lac eſſe canum procul intuitus, at ſi eo acceſſeris, albam aquam eſſe contendes, ſed ubi paulo ſemotius diffluxerit, condenſatur circa amnem, eſt enim ſolum lapideum. Porro in Alceum irruit Meges Philei filius, & cum palpitantem ſub pectore haſta

ſta fixit, qui ſtatim uitam morte commutauit nec illum è luctuoſo prælio reuerſum, quàmuis impenſius cuperent ærumnoſi ſuſcepere parentes, nempe formoſa Philais, & Margaſus, qui habitabant iuxta pellucidi Harpaſi amnem, ubi in triſtem Meandrum ſonoro fluxu & magno undarum impetu illabitur, diebus omnibus magna aquarũ mole furens, porro egregium Glauci amicum formoſum Scylaceũ, Oilei filius, ſibi occurrentem uulnerauit parum ſupra ſcutũ, & triſtis haſta latum humerum perfodit, ſanguis uero circa ſcutũ ebulliјt, ſed illũ non interfecit, quia fatalis dies reuerſum oppreſſit, ad mœnia charæ patriæ, ſimulatq; Gręci altam Troiã excidiſſent, tũ certe bello profugus in Lyciam uenit, ſolus ſine ſociјs, ſed fœminæ omnes circa urbem confluentes, ſciſcitabantur eum & de uiris & de parentibus, hic tum illis memorauit ſuos omnes fato cõceſſiſſe, quare arreptis ſaxis circũſtantes uirum illũ interfecerũt, nec profuit illi in patriam reditus, ſed fœminæ magna ædentes ſuſpiria lapidibus obruerunt, & ex iaculis pernicioſis illi tumulus aggeſtus erat, iuxta templum ac ſepulchrum fortis Bellerophontis, quod eſt ſitum apud nobilitatum Titanidis

ſaxum

ſaxum, uerũ huic fato functo, poſtmodum monitu Apollinis diuini ſunt delati honores, qui interitui non ſubiacent. Cæterũ Philoctetes interfecit Deioneũ & Acamantem Antenoris filium, aliorum autem iuuenum magnam domuit turbã, nam in hoſtes graſſabatur indomito Marti ſimilis, aut ſonoro fluuio, qui oppoſitas euincens gurgite moles, fertur in arua furens, quando impetuoſe è petra præcipitatus montibus deuoluitur, triſtibus imbribus auctus, cum perenni & impetuoſiſſimo fluxu feratur, obiectæ moles illum immenſe æſtuantem cohibere nequeunt: ſic nemo Philoctetem eminus inuehi cõſpiciens ſe propius ferre auſus eſt: nam inuſitato quodam robore illi pectus efferbuit: erat enim Herculis armis exornatus, ſiquidem baltheo eius truces inerant urſi, & horrendi Thoës circumibant, & crudeliter ſub ſupercilijs ridẽtes Pardales, quibus iungebãtur magnanimi lupi & apri ſpumoſi ac leones ualidi uiuos miris modis exprimentes, deinde ubiq; prælia inerant cũ acerba ſtrage, tantis quippe ornamentis illi baltheus expolitus erat, uerũ pharetra immenſum, quanta uenuſtate reſplenduit: inerat enim Iouis filius pernicibus pedibus Mercurius,

curius, iuxta Inachi fluenta magnũ Argum mactans, Argum, inquam, qui alternis oculis ſomnum capiebat: inerat quoque Phaëton circa Eridanum amnem, curru præcipitatus, terra quippe conflagrante incendio, multus in aëre fumus, quaſi res uera fuiſſet, diſpargebatur, deinde dijs ſimilis Perſeus horrendam interemit Meduſam, ubi aſtrorum ſunt lauacra & terræ termini, ac altiflui Oceani fontes, ubi occidenti ſoli congreditur noctis crepuſculum. Præterea illic quoque Prometheus ardui Caucaſi iugis ſuſpenſus eſt irrumpendo uinculo, & aquila illi radit iecur, ſemper ſuccreſcens, hic uero gemitus ducere uidetur, quæ omnia illuſtribus Vulcani manibus fabricata erant forti Herculi, at ille dedit ferenda Philoctetæ, nam illi domeſtica neceſſitudine admodũ circumuentus erat, hic uero armis glorians domuit populos, tandem autem in eum inſurrexit Paris luctuoſa tela criſpans manibus, cum flexili neruo audacter, nam illi meditabatur extremam perniciem, emittebatur autẽ neruo telum, qui ſonitum ædebat prouolante telo, quod haud irritũ ceciderat, uerum ab illo aberrauit, ut qui nõnihil declinaret, ſed iecit Cleodorum, quamuis uir eſſet præſtantiſſimus,

tiſſimus, parum ſupra mammam, traijciebat ad humerum uſq;, non erat enim illi latum ſcutum, quod perniciē arcere potuiſſet, ſed inermis cū eſſet receſſit, cuius humeris Pulydamas ſcutū rupto loro auulſit, ille autem triſti haſta pugnans receſſit, nam luctuoſum incidit iaculū aliunde irruens, ut uoluit quodammodo deus, acerba morte proſternere prudentis Lermi filium, quem peperit Amphiale in fertili Rhodiorum terra, eumq́; ut gemebundo telo deieciſſet Paris, tum certe Philoctetes magna animi alacritate arcum intendens, ingentem clamorem ſuſtulit, Canis quàm truci fati genere te exitio dabo, quoniam te mihi parem facere conniteris, & patriam nauibus repetent, quicunque tui gratia infeſto hoc prælio affliguntur, nā ſtatim hoc diſſoluetur malum, ubi tu hic animam expiraueris, quoniā tu illis perniciem ſtruxiſti. Sic fatus flexilem neruū ad pectus contraxit, cornua autem in circum agebantur & acerbum telum dirigebatur, ac cuſpis parum ſupra arcum ui iuuenis emicuit, neruus autē ualde ſonuit euolante telo, nec aberrauit uir diuinus, ſed illi nondum cor minuebatur, uerum adhuc animo ualuit, non enim oportuno loco infigebatur ſagitta, ſed perſtrin-

Digitized by Google

perſtrinxit dũtaxat formoſum corpus, tum iterum arcũ parauit Philoctetes, & prçuertens acuto telo ſupra inguen ferijt: tum ille ſtatione deſerta, retro ſtatim defluxit, nõ ſecus, ac canis leonis metu refert gradũ, q̃uis antea impreſſionem fecerit: ſic ille acerbis transfixo pectore, doloribus, prælio ſe eduxit: populus autem conglomerabatur, in mutuam perniciem ruens, pugna uero multo utrinq; cadentium ſanguine conſtabat, & cadauera cumulabantur cadaueribus, in morem grandinis aut niuis, quando Iouis prçcepto Zephyrus aut tempeſtas, montes & ſyluas defœdant, ſic illi utrinq; crudeli manu deiecti, ſe mutuo amplectebantur cadentes. Cæterum Paris altis ductis ſuſpirijs ob uulnus animi angebatur, at illũ mœrentem obſtipabant medici: Troiani quidem ad urbem, Græci uero ad naues ſubito concedebant: nam atra nox prælium diremit, & laborem membris diſcuſſit, diffuſo oculis ſomno laboris depulſore, ſed Paridem ad lucem uſque tenebat inuigilia: non enim ullis medelis illi occurrere potuerunt, q̃uis id ardenter cuperent, quia illi fatale fuerat, ut Enones manibus mortem effugeret, ſi modo iret, at hic ſtatim uaticinijs morem gerens,

Paris uulneratur telo Philoctetæ.

Digitized by Google

inuitus iuit, nam exitialis illum perpulit neceſſitas ſub puellæ cõſpectum prodire. Porro mali ominis aues è uertice occurrẽtes cecinerunt ad Leuam uolantes, quas ille intuitus formidabat interdum, tum iterũ imperfecte uolare cognouit, uerum graue illi exitium protendebant. Cæterum uenit ad illuſtrem Aenonem, quem intuitæ ancillæ demiratæ ſunt, imo & ipſa Aenone, hic uero ſtatim ſe ad muliercule pedes abiecit, ſuperne nigreſcens, & intus ad ipſam uſq; medullam per oſſa diſtillantem, quia ipſum pharmacum in tabum uertebatur, per læſum uiri corpus: proinde cruciabatur magna, pectore traiecto, triſtitia, ut cum quiſpiam morbo & acerba ſiti exardeſcens, continuo dolore exiccatur, ut quem efferueſcẽs bilis adurat, & torpida anima in ſiccis labris oberrat, tũ uitæ tũ aquæ cupida: ſic ſub huius pectoribus exedebatur animus, mœrore, & ui morbi flaccidus, proinde tali oratione adorſus eſt Aenonem, Ne me ueneranda mulier graui dolore affectum hoſtili animo proſequaris, quoniam te antea uiduam in edibus deſeruerim, non ſponte quidem, nam me nõ euitanda fata ad Helenam traxerant, cuius antequàm concubitu mixtus fuiſſem: utinam in

Paris ad Aenonẽ properat.

Digitized by Google

tuis ulnis animam exhalaſſem, ſed age per deos qui cœlum incolunt, per thalamũ, per uirginalem amorem, benignum indue animum, & acerbos depellito dolores, profuturis pharmacis pernicioſo uulneri appoſitis, quæ, in fatis eſt, ut meos cruciatus ſedẽt, ſi uelis, & tibi ſtet ſententia, me acerbo fato eripere, ſin ſecus, at te mei miſericordia moueat, & uim fatalis teli medelis pellito, ut mihi robur & membra refloreſcant, nec me triſti zelotypia exagitata, crudeli iaculo uitam profundere ſinas, ad tuos pedes proſtratũ, & in Litarum offenſionẽ impingas, quæ Iouis filiæ cum ſint hominibus perfidis iracundia ſuccenſæ, in poſterum luctuoſam rependunt Erinnin. Proinde ô ueneranda, iram animo pellito, & malum fatum, etſi inſipientia aliquid in te deliquerit. Sic fatus, haud tamen potuit commotam huius mentem ad miſericordiam reflectere, ſed conuitijs inceſſens, ſic compellat hominẽ magno animi cruciatu affectum, Sub meum ne conſpectum prodire audes? quam olim deſeruiſti in ædibus immenſo percitam luctu cauſa Helenæ, quæ multorum malorum Troianis ſeminariũ eſt, cuius cõcubitu age fruitor cachinnans, quia multo eſt præſtantior

Aenone cõuitijs repellit Paridẽ.

tua

tua prima uxore, quam fama fertur, ſenectę malis non eſſe expoſitam, illi ad genua properās accidas, nec mihi profuſis lachrymis triſtia & miſeranda obgannias, utinam magnum ferę robur pectori ſubeſſet meo, ut tuas dilaniarē carnes, deinde & ſanguinem haurirem ob mala, quibus me affeciſti, prauitati morem gerens ſcelerate: ubi nunc eſt formoſa Venus, ubi denique omnipotens Iupiter generi ſui oblitus, hos habe tibi opitulatores, ac procul à meis ædibus te amolire, & dijs & hominibus triſtis noxa: tua enī cauſa ô ſcelus, immortales quoq; in luctum coniecti ſunt, hi quidem ob nepotes, alij uero ob filios in prælio cæſos, ſed noſtris te tectis ſubducito, & ad Helenam contendas, cuius te lecto acerbo affixum dolore oporteret dies & noctes gemitibus cōterere, tantiſper dum te triſti leuaret cruciatu. Sic locuta plorantē ab amicis ædibus ablegauit ſtolida: non enim perpendit in animo ſuum fatū: futurū enim erat, ut illo extincto exemplo ipſam etiam fata comitarentur: ſic enim illi agglomerarunt Parcæ. Porro hunc claudicanti greſſu miſerande properantem per hirſutæ Idæ iuga & magno dolore percitū animaduertit Iuno, & ingens immortali ani

Digitized by Google

Iuno lætatur ob Paridem male affectum.

mo gaudium cõcepit, ſedens ea olympi parte, ubi Iouis eſt area & morigeræ famulæ illi aſſidebant, quas aliquando formoſa luna, à ſole compreſſa, peperit per cœlum indomitas, nihil ſibi mutuo ſimiles, nam forma altera alteri præſtat. Cęterum alia hyemi & capricorno curę fuit, quatuor partibus mortalium ętas permutatur, illę autem aſſequuntur alternatim: uerum hęc ipſi Ioui ſuperum regi per cœlũ curæ ſunt, at illæ diſſerebant, quo pacto pernicioſum fatũ exitiali animo meditetur triſtes Helenæ nuptias ad Deiphobum transferre, deinde acerbam Heleni ſimultatem & iram ob uxorem, & quo pacto illum Græci in arduis mõtibus abrepturi eſſent, ut Troianis infenſum ad naues adducerent, ut eius monitu Diomedes cum Vlyſſe, per murum irrumpens, abrepta ſua ſponte Pallade, Alcathoo exitium adferret quæ & urbi & ipſis Troianis propugnaculum erat: nemo enim, ne deorum quidẽ maxima etiam in Troianos iracundia exardeſcens, potuiſſet opulentã Priami urbẽ euertere, donec pro eorum incolumitate ſtaret immortalis dea, nec illi ſimulachrum corruptioni obnoxium fabricati erant uiri, ſed illud ipſum cœlitus ipſe Iupiter in Priami urbem

bem demiſerat. Porro hæc & alia præterea multa, ut deſeruiſſet cū ſuis miniſtris Iouis coniunx, Paridem in mōte Ida anima deſti tuit, nec illum Helena uidit reducem, ſed cir cumfuſæ nymphæ plorabant, quia adhuc animo hærebant, quos antea ſermones con ſeruiſſet ſecum, & ut tenella ætate cœtus fa cerent, cum illis quoque plorabant celeres bubulci in animo dolentes; ualles autē reſul tabant ſtrepitu, & tum paſtor quidam ærumnoſæ Priami uxori grauē Alexandri obitum nūciauit, quem ut audiuit tremor occu pabat oſſa, & membra infringebantur, ac in hæc ploranda prorupit uerba, Periiſti chare fili ac mihi luctu luctum cumulaſti, nulla euitabilē ratione, quia alios filios omnes ſu peremi[illegible]bas, poſt Hectorem, quare te miſera deflebo, dum cor mihi in pectore palpitet, nō enim ſine diuûm numine hæc eue niunt, ſed fatum aliquod triſtia hæc opera excogitauit, quæ utinam nunq̃ animo percepiſſem, ſed diem meum obiiſſem antea, quando pace ac rerum opulentia adhuc flo ruerim, ut quæ iam formidem, & alia gra uiora me uiſuram, nempe filios interfectos & urbē igni ac ferro à Græcis deuaſtatam, & generos & filios cum aliis multis Troianis

Dolet Hecuba magis ob Paridē cęſum q̃ ob alios filios

Digitized by Google

nis bellica neceſſitudine in ſeruitutem cum ſuis liberis abſtractos: ſic dixit ploratũ ciẽs, ſed maritus id non reſciuerat, uerum hic ſepulchro aſtitit Hectoris, lachrymas fundẽs, quia præſtãtiſſimus fuerat, & haſta patriam ab hoſtiũ aſſultu aſſeruerat, qua de re nondum acerbas Græcorum mentes didicerat, ſed Helena continuo plorans, multa protulit, alia quidem propalam, alia uero animo premebat, hæc nempe ſecum mente uolutans, Acerbe occidiſti, mi uir, Troianis & tibi ipſi magna pernicies, & acerbis me hiſce malis deſeruiſti, quæ formidem futurum, ut in maiora adhuc mala incidam: utinam me Harpyæ abripuiſſent olim, cũ te malo compulſa fato ſequuta ſum: nunc uero & tibi & mihi miſerę dij mala immiſerunt: omnes enim exhorrent, omnes denique hoſtili affectu proſequuntur, nec ullũ patet effugium, nam ſi me in Græcorum cœtũ proripiam, ſtatim meum corpus flagris concident, ſin maneo, & Troiani & Troianę me cingẽtes, aliunde aliæ ſtatim dilaniabunt, nec cadauer humo cõdetur, ſed canes & alites diſtrahẽt: utinam fato occubuiſſem anteq̃ hæc mala oculis noſtris incurriſſent. Sic fata eſt, non tam maritum deflens, quàm grauis delicti

Fraudulento animo Helena.

memoriam

memoriam refricans plorabat, circumfuſæ autem Troianę mulieres, quaſi ob illum du cebant gemitus, ſed alię mente uerſabant ui ros & parentes, aliæ filios & uenerandos amicos ſibi ob oculos ponentes: ſola autem Aenone ex animo dolebat, attamen nō plo rabat inter Troianas, ſed ſeiuncta in ſuis ędi bus iacebat grauiter deflens, prioris mariti thalamū, ut in locis nemoroſis glacies per arduos montes circūagitur, quę ualles defœ dat Zephyri turbine diffuſa, circumquaque autem porrecti montium uertices humidis diſtillantes guttis agitantur, at hæc licet inu ſitatæ cuiuſdam magnitudinis ſit, tamen per ſaltus, ruente diſtillatione, in frigidam lique ſcit aquam: ſic illa indignata, horrida liqueſcit triſtitia, animi ſe angens ob maritum, cui ſua libata uirginitas, & graues promens gemitus, hiſce uerbis ſecum exæſtuabat, Heu mihi ob ſcelus, heu mihi ob ærumnoſam uitam, quæ maritum maximo com plexa ſum amore miſera, cum quo ſperabam exacta ætate uitam agens, nulla diſcor dię nebula obductam, ad præclarum limen uenire, ſed dīj alio detorſerunt: utinam me prius atra ſtrauiſſent fata, quando futurum erat, ut ab Alexandro auellerer, uerum

Aenone prę dolore Paridē quę rit.

etſi me cum in uiuis eſſet deſeruit, magnum tamen aggrediar facinus, ut ob ipſum mortem obeam, quoniã ingrata hac luce fruor. Sic locutę triſtes ſupercilijs lachrymę pręcipitabantur, & extincti mariti memor, ut cera cęco carpebatur igni, nam uerebatur & patrem & ancillas. Porro dum nox terras prætexeret, mortalibus laborũ ſolutionem adferens, tum parente & famulis ſomno ſepultis in ædibus, perruptis aulæ ianuis exijt turbinis in morem, agilia namq; mẽbra eam ferebant, ut quando per montes iuuencam tauri amore captam animus extimulat, ut celeribus pedibus impetuoſe feratur: hęc igitur amore æſtuans, non metuit paſtorem, nã effertur impetu nemini reſtringendo, ſi alicubi in uirgultis cõſuetum taurum conſpexerit, ſic illa impetu abrepta longum confecit iter, cupiens ſubito pedibus triſtẽ cõſcendere pyram, nec membra laſſitudine ſoluebantur, ſed noua ſubinde agilitas pedibus addebatur, quoniam fatum exitiale & Venus ſtimulos addebant, nec formidabat hirſutas ſub noctem feras ſibi obuiã factas, cum eas antea, mirum q̃, exhorruerit, per omnes enim montium rupes permeabat, & præcipitia ac ualles oẽs tranſmittebat, quã

cum

cum cœlitus intuita eſſet Luna in memoriã pręſtãtis Endimionis adducta, dolebat illã ita ruere, & deſuper demiſſo fulgore lõgas aperuit uias, at tandem per montẽ uenit, ubi aliæ quoq; nymphæ Alexandrum deplorabant, quem magnus circundedit ignis, quia ipſi paſtores aliunde alij è mõtibus cõfluentes magnam lignorum copiam aggeſſerũt, ut extremo officio amicum, & regem proſequerentur, magnum circumquaque luctum cientes, illa uero ut uidit, non propalã quidẽ, quamuis magno animi dolore enecaretur, uociferabatur: ſed decoro capite pallio inuoluto, repente in ignẽ inſilijt, at magnũ mouit ploratum: concremabatur autẽ cum marito. Porro nymphæ aliunde aliæ in maximam admirationem adducebantur, ſimul atq; uiderunt cum uiro collapſam, nec deerant qui hæc ſecum animo uoluebant, magno profecto ſe Paris ſcelere obligauit, qui deſerta coniuge admodum ueneranda ſibi aſſumpſit luxu perditam uxorem, in ſuũ & urbis & Troianorũ exitiũ ſtolidus, nec mouebatur affectu prudentẽ coniugẽ ita excarnificari, quę illum non redamantem, ſed potius hoſtilia meditantem luce magis uenerabatur, ſic nympharum quæpiam in ani-

Aenone in Paridis rogũ inſilijt.

mo cogitabat: hi autem medio rogo cõcre mabantur auroræ obliti. Porro circumſtan tes paſtores obſtupeſcebant, ut Græci quo que antea denſi ſpectatum uenientes, Aeno nem Capanei proſtratam telis, apud ſuum maritum luctifico Iouis fulmine domi- tam: at ubi utroſque exitialis ignis im petus abſumpſiſſet Aenonem & Paridẽ, & uni ſubieciſſent petrę. tum pyram uino extingebãt, & eorum oſſa aurea urna condebant, propeq́ꝫ tu mulum erexerunt: cui duas ſuppo- ſuerunt colu- mnas, quę alibi alio uerſæ erãt.

Libri decimi finis.

Digitized by Google

IN VNDECIMVM LIbrum argumentum.

CVM mulieres in urbe Paridē deflerent, in campo Troico nihilo minus pugna efferbuit, & multi Troianorum cadebant Philoctetæ telis. Quare Apollo, aſſumpta uatis Polymeſtoris perſona, Aeneam & Eurymachum adhortatur, ut fidenti pectore hoſtibus ſe obijciant. Neutri enim ad huc diem fatalem adeſſe aſſerens, quo freti tanta ſtrage hoſtes affecerunt, ut in fugam effuſi, caſtra petijſſent, niſi Neoptolemus obſtitiſſet, quem Aeneæ committi noluit Thetis, ne in Veneris offenſionē impingeret. Quod cum uideret Minerua, ſe prælio accinxit, Venus igitur ſuo filio metuens, eum prælio eduxit. Proinde Troiani aperto Marte, Græcis congredi non auſi, e muris uim hoſtium arcent, unde Aeneas, magnū inter Græcos ſtragem ædidit.

QVINTI CALABRI DERELICTORUM AB HOMERO, LIBER UNDECIMUS.

TROIANAE in urbe crebra ducebant ſuſpiria, nec potuerũt ad tumulũ prodire, quia procul ab urbe ſitus erat: iuuenes uero in omni urbis parte aſſidue laborabãt, quia pugna non remittebatur, etiã Alexandro extincto, nam Græci Troianos ad urbem perſequebantur, qui & ipſa urgente neceſſitate extra mœnia ſe recipiebant, inter medios autem Cõtentio & luctuoſa Bellona uolitabant, malas aſpectu furias repręſentãtes, ambæ fatale ſpirantes exitium. Tum circa eas acerba fata horrendè furebant, ab altera autem parte metus & Mars populos extimularunt, à tergo aderat illis furor purpureo infectus cruore, ut uidentium, hi quidem uires colligerent, hi autem in fugam agerẽtur, quaquauerſum iacula, haſtę, tela, alibi alia fundebãtur, pernicioſę ſtragis cupida: magnus autem circa cadentes mouebatur ſtrepitus eorum, qui utrinq; exitiali prælio diſceptabant, hic igi-

tur

Digitized by Google

tur Neoptolemus Laodamãtem interfecit, qui educatus fuerat in Lycia iuxta fluenta Xanthi, quem aliquando altitoni Iouis con iunx Latona mortalib⁹ exhibuit aſpero Lyciæ campo, manibus dirupto, quando grauibus diuini partus doloribus conficeretur, poſthunc, Nirum exitio dedit haſta per maxillam traiecta, transfodit autem haſtæ cuſpis linguam adhuc loquẽtem: tum hic non cohibendam haſtæ cuſpidem amplectebatur ſtridens, defluxit autem cruor loquentis genis, & hũc haſta, ualida manu acta ad terrę ſolum fixit, animam exhalantem, Irus haiecit Aeuenorem parũ ſupra ilia, & egit haſtam per medium iecur, tum hic ſtatim triſti occubuit fato: deinde inuaſit Neoptolemus Ariphitionẽ & Hippomedontẽ proſtrauit præſtantem Menali filium, quem peperit nympha Ocyroa ad Sãgarij amnis decurſum, nec eum ſuſcepit reducẽ, ſed triſtia fata filio illam orbarunt, ob quem maximo conficiebatur luctu. Tum Aeneas Bromontem & Andromachum interfecit, qui educatus erat in Cnoſſo, hic uero in ſacra Lycia, ambo in eundẽ locũ equis dilapſi ſunt, at hic palpitabat gutture haſta transfixo, ille autem triſti ſaxo uerticis fundamento ualida

da manu illiſo expirauit, ac atrum eum amplectebatur fatum. Porro equi attoniti reddebantur, & excuſſis aurigis fugientes, per cadauera errabant, & hos quidē Aeneæ miniſtri arripientes ex animo ob gratam prędam gaudebant. Tum Philoctetes exitiàli iecit telo Peraſum, ſe fuga è prælio proripientem: præſecuit autem obliquos poplitis neruos, & infregit uiri impetum, quem ut Græcorum quidam uidit mutilatum, ſtatim impacta haſta capitis neruum præſecuit, & totum corpus ad terram defluxit, caput nutans ſeorſum ferebatur, illo uocem emittente, tum extemplo euolauit anima. Cęterum Pulydamas Cleonem & Antimachum haſta ferijt, qui è Symo uenerunt ſub Nereo rege, ambo docti inſidias piſcibus ſtruere hamo, & retia in mare iacere, & manibus è naui ſcite & directe tridentem in piſces torquere, ſed hæc maritima opera non ſuffecerunt depellendo exitio: Eurypylus autem bellicoſum & præclarum Hellum deiecit, quem iuxta paludē Gygeam peperit formoſa Cleto, hic in puluere porrectim extenſus eſt ſupinus, & procul à ualido eius humero haſta dilapſa eſt, triſti tamen enſi inflexa manus: etiamnum prompta erat ad pugnam

gnam, haſtam tollere, ſed fruſtra: non enim uir illam ad opus direxit, ſed fruſtra palpitauit, ut horridi draconis cauda præſecta ſubſultat, non tamen uires magno labori ſuppetunt, ut uulnerantem conficiat: ſic quoq; fortis uiri dextra, ad haſtam tollendā impetu ferebatur, at robur non comitabatur. Cæterū Vlyſſes Enum ſuſtulit & Polyindum, ambo Cetæos, hunc quidem haſta, alterum uero enſe proſternens; at Stenulus inuaſit diuum Abantem, emiſſo iaculo, quod per fauces actum ipſum occipitis neruum penetrauit, & diſſoluit cor uiri, ac omnia infregit membra: Diomedes autem inuaſit Laodocum, Agamennon uero Melium, Deiphobus Dryanta & Alcinum, at Agenor Hippaſon interfecit, licet admodum illuſtrem, qui à Peneo flumine aderat, nec nutriendi mercedem parentibus rependit, quia illum comminuit dæmon, at Thoas interfecit Lalum & præſtantem Lyncum: uerum Meriones Lyconem, & Menelaus Archilochum, qui habitauit ad pedē Coryçi montis, qui petra eſt prudentis Vulcani mortalibus admirationem mouens, nam continuo incendio flagrat, & noctes & dies, attamen in circum palmæ florent, & ſuum proferunt

Digitized by Google

proferunt fructum, radice tamen ardente cum ſaxis, ſed illud immortales dij poſteris uidendum curarunt. Teucer autem præſentis Hippomedontis filium Menetem impetuoſius inuectum telo adoritur, quod & oculis, & mente, & manibus direxit, ab incuruo cornu, & id exilijt è manu in uirum, quo neruus adhuc inſonuit, hic tamen pulpitauit humi deiectus, quia fata ſimul cum telo ferebantur ad oportunum pectoris locum, ubi menti & robori uirorum ſedes eſt & præcipites ad necem uiæ. Porro Euryalus ualida manu magnũ iaculabatur ſaxum, & celeres Troianorum phalanges loco mouit, ut quãdo aliquis gruibus acuta uoce infeſtis iratus, ad campi terminum magna percitus indignatione ſe cõiecit, uerſans circa caput neruos bubulos, & alios iacit in aduerſum, diſſipat autem impetu longos aërẽ ſulcantes ordines, hi autem in fugã ſe uertunt, & alter alteri implicitus euolat, magno ædito clangore, cum antea ordine incedebant: ſic hoſtes horridum metuebãt telum fortis Euriali, nam id haud irritum ferebat deus, uerum etiã ſecuri caput fortis Meletis comminuit, & nociuum occupauit fatũ. Porro alium alius neci dedit, terra autem ingemiſcebat

Digitized by Google

ſcebat, ut quando magno uento grauiſono impetu impreſſionem faciente, alibi aliæ ar bores humi ſternuntur radicitus auulſæ, ex nemoris ſolo, inhorreſcit tellus circumqua que: ſic illi in puluerem cadebāt, arma uero immenſum ſonabant, terra autem maxime circumſonuit, illi uero acerbæ pugnæ inten ti, ſibi mutuo exitium ferre nitebātur. Tum & Aeneam & bellicoſum Eurymachū Antenoris filium acceſſit Apollo, qui cum fortibus Græcis armis diſceptabant cominus, non ſecus, ac duo ualidi & coëui boues, cur rui iuncti, nec pugnam remittebant: hos igi tur deus tali oratione adoritur, aſſumpta ua tis Polymeſtoris perſona, quem aliquando genuit mater ad Xantum amnem Hecati fa mulū, Eurymache & Aenea deorū genus, non par, ut uos Græcis locum detis, ne ipſe quidem Mauors impetuoſus lætabitur uobis occurrens, ſi certe per turmā uelitis pugnam capeſcere, quoniam Parcæ longū uitæ terminū utriq; fixerunt. Sic fatus in uentos diſparuit, & eorum aſpectui exemptus eſt, hi uero ſtatim mente comprehendebant dei potentiam, derepēte igitur ipſis immen ſa creſcebat audacia, & animus pectoribus furebat, atque in Gręcos exiliebant, acerbis

 uespis

ueſpis ſimiles, quæ magna ira percitæ, inſultant apibus, ſimulatque autumnali tempore eas ad ſiccatas uuas ferri uideant, aut ex aluueario proruẽtes: ſic Troiani impetuoſe in bellicoſos Græcos inuehebantur: gauiſa autem ſunt atra fata illis pugnantibus, & riſit Mauors & horrendum ſuſtulit clamorem Bellona, ac magno ſtrepebant ſonitu arma: illi igitur infinitas hoſtium turmas perrumpebant, indefeſſis manibus, & populus ſine delectu ſternebatur, perinde ac manipuli feruidæ ęſtatis tempore, quas demetunt agilibus manibus meſſores, diuiſis per arua iugeribus immenſis: ſic quoque horum manibus infinitæ cadebãt phalanges, circumquaque autem terra cadaueribus referta ſanguine exundauit. Contentio certe magnum animo gaudium concepit, ob pereuntes, hi tamen pernicioſum illum laborem non remittebant, ſed perinde ac boues irruente leone, ſic alij triſtẽ fugam circũſpectabant & pernicioſo pręlio ſe ſubtraxerunt, qui adhuc pedibus ualebant. Porro Aeneas effuſo curſu inſequens, haſta fugientium terga cędebat. Eurymachus autem aliunde: cęterum Apollo id ex alto cõſpiciens magno perfundebatur gaudio, ut quando uir aliquis, apris in ari

das

das ſegetes irruentibus, antequàm à meſſoribus manipuli ſint proſtrati, ualidos in aduerſum canes exagitet, at hi uidentes repentino terrore cõcutiuntur, nec amplius aquã curæ habent, ſed in triſtẽ fugam uertuntur gregatim, quos ſtatim canes pedibus aſſequentes à tergo dilaniant crudeliter: hi autem fugiunt mœſto animo, dominus uero agri magnam animo uoluptatem accipit: ſic quoq; oblectabatur animi Apollo, cum cerneret magnas Grę corũ turmas fuga ſe pręlio ſubtrahentes, nõ enim illis amplius deorum opera curæ fuerant: uerũ precabantur deos pedũ celeritate ſibi conſuli poſſe: nam omnis ſpes reditus in pedibus erat ſita: ſiquidem omnes impetebãt Eurymachus & Aeneas haſta graſſantes, adiuncto ſibi amicorũ præſidio: hic Græcorum quiſpiam uel uiribus fretus uel ex Parcarũ in ſuum exitium conſpirantium ſententia, equum è prælio fugientẽ cohibuit, reflectere conniſus ad prę lium, ut cum hoſtibus pugnam capeſceret, hunc magnanimus Agenor fraude circumuentum ancipiti cęcîdit ſecuri, uis autem ceſſit ferro, brachij oſſe uulnerato, & facile concitauit neruos, & uenæ ſcaturiebant ſanguine, circumfundebãtur autem equi & ſtatim

 defluxit

Digitized by Google

defluxit mortuus, & reliquit manum tenaci ter adhuc flexili adhærentem fręno, ut erat cum uiueret, quod magni prodigij uice poſſet eſſe, quia freno cruenta dependebat manus Martis iuſſu, metũ hoſtibus incutiens, dixeris illam adhuc regẽdo equo intentam eſſe, uerũ illam ferebat equus interfecti domini indiciũ. Porro Aeneas Aethalidæ haſtam ſupra ilia intorſit, & cuſpis per umbilicum emicuit, inteſtina ſecum educẽs: hic uero humi proſtratus eſt arrepta ſimul cũ inteſtinis cuſpide, ac graues ducens gemitus, terræ dentes infixit rugiens, anima uero & dolores deſtituerunt uirum. Cæterum Gręci attoniti reddebantur bobus ſimiles, quos indefeſſe ſub iugo, & aratro cõnitentes ſubter ilia aſpero ferit roſtro Aſylus ſanguinem ſitiens, illi autẽ magna accenſi indignatione ab opere procul fugiunt, quare qui aratrum ſequitur, diſcrutiatur animi rei difficultate laborans, ac bobus metuẽs ne à tergo irruente aratro, ferrũ pedibus illiſum neruos pręſecet, ſic Gręci cõſternebantur, ob quos magnum animo dolorem concepit Neoptolemus, ac magnum ſuſtulit clamorẽ ſuorum fugam ſiſtens, Formidoloſi, inquit, quo fugitis in morem imbellium ſturnorũ, quos

metu

metu cōcitauit accipiter obuiam factus, ſed agite reſumite animum, quoniam multo ſatius eſt in prælio animam profundere q̃ imbellem capeſcere fugã. Vt dixit hi morem gerebant, derepente magnis aſſumptis animis, at hic magno animi robore ſuffultus in Troianos impreſſionem fecit, haſtã manu uibrans, quem Myrmidones ſequuti ſunt uim turbine parem pectore gerentes, reſpirabant autem in magna pugna Græci, ille uero patrem animo repræſentans alium ſuper alium occidit, hi autem uerſis tergis cedebant, non ſecus, ac fluctus procellis Boreæ concitatis exæſtuantes ad littora euoluuntur è mari exagitati, quos inde uentus alius in aduerſum ruens, ac magno graſſans turbine, à littore depellit, Borea parum adhuc ſpirante, ſic Troianos antea in Græcos inuectos Achillis filius parum retro compulit, quoniam fortis Aeneas terga fugæ nudare non permiſit, ſed ut in graui pugna perſiſterent author fuit, utrinq; autem parē extraxit pugnam Bellona. Verum Neoptolemus in Aeneam nō torſit ſui patris haſtam, ſed alio uertit animum, quia Thetis Venerem reuerita, nepotis ſui animũ & magnum robur auertit, uerſi inter alias nationes infi-

nitas proſtrauit tribus. Porro aues lætitiam agitabant ob cæſos in pugna, cupientes uirorum dilaniare inteſtina & carnes, ingemiſcebant autem nymphę uitrei Simoëntis, & Xanthi filiæ, et hi quidem pugnæ laborem tolerabant, at magni uenti ingentē uim pulueris excitabant, prętexebant autem ſuperne omne cœlum caligine, ut nebulam uiſui minime peruiam, nec tellus apparuit, ac hominū aſpectus euaneſcebat, at quamuis ita eſſet, tamen adhuc decernebāt acie, & quicunq; in manus inciderat, atrociter trucidabant, etſi arctis amicitiæ uinculis ſibi aſtrictus eſſet, nō enim licebat in conflictu perpendere amicus ne an hoſtis eſſet, qui obuiam ferebatur, tanta perplexitate prępediebantur omnes, nullo igitur ordine miſti fuiſſent, & acerbe periſſent omnes in mutuū ferrum irruentes, niſi Iupiter laborantibus opem tuliſſet, ac puluerem è prælio profligaſſet & exitiales ſopiuiſſet procellas, tum hi multo minori negocio pugnam capeſcebāt, erat enim cernere hoſtem, ne lœtho dare, an prælio ſe fuga eripere oporteret, & nunc quidem Græci Troianorum repreſſerunt impetum, nunc iterū Troiani Græcorum ordines fuderūt, feruebat enim admodum

dum pugna. Porro tela utrinq; emiſſa in mo
rem niuis decidebant, magno corripieban
bantur metu paſtores procul ab Ideis mon
tibus uidentes conflictum, & aliquis ſubla-
tis ad ſydera palmis, precabatur deos, ut ho
ſtes ad unum omnes internitione cederen-
tur, & Troiani à luctuoſo pręlio reſpirarēt,
ac liberum uiderent diem, ſed illi non exau
diebant, nam triſte fatum alia uerſabat ani-
mo, haud quicquàm magnum Iouem reue
ritum, nec quenquam immortalium, nam
acerbus illius animus nihil penſi habet, quē
nam primū è multis naſcentibus nō fugien
do ſuo filio adglomerat: omnia enim huius
manu intereunt atq; creſcunt, huius quoq;
iuſſu labor & contentio mota eſt Troianis
& Græcis: attulerunt autem ſibi mutuo cæ
dem, & acerbum fatū continuo, nullo enim
metu concutiebantur, ſed promptiſſime ca
peſcebant pugnam, nam audacia uiros in cu
ſpidem abſtrahit. Verū enimuero cum mul
ti prælio cecidiſſent, tum Græci bellicoſæ
Palladis impulſu Troianis audacia præſta-
bant, quæ gradum conferens, Gręcis opem
tulit, excindere cupiēs inclytam Pryami ur
bem, magno concuſſam gemitu, Paride ex-
tincto, & tum Aeneam ipſa Venus impetuo

ſo prælio & exitiali conflictui eripuit, multa effuſa nebula, erat enim præter fatorum diſpoſitionē hunc uirū diutius cum Græcis diſceptare armis Troię pro mœnibus altæ, quia metuit admodū Mineruam ex animo cupientem Græcis opitulari, ne præter fatorum conſtitutionem eum è medio tolleret, ſiquidem ne ipſi quidem Marti pepercit antea, qui tamen illam longe excedit uiribus. Porro Troiani nō amplius prælij uehementiam ſuſtinere potuerunt, ſed attoniti retro agebantur, nam Græci feris beluis ſimiles impreſſionem fecerunt, pugnandi deſiderio exæſtuantes, fluuij igitur cadaueribus opplebantur: nam magnus tum uirorū tum equorum numerus campo ſternebatur, & multi interfectorū currus humi uoluebantur, quacunque autem magna uis ſanguinis diffluxit, in morem pluuiæ, & perniciosum per pugnam fatum oberrabat, tum hi quidem enſibus aut haſtis transfixi, fuſi erant per littora, non ſecus, ac ligna diſparſa, ubi ad littus grauiſoni maris uiri multis clauorū retinaculis ſolutis, diſſipent ligna, & materiam altę nauis, quacunque autem impletur littus latum, quibus cærulea alluit unda, ſic illi puluere & ſanguine præcipitati iacebant

luctuoſi

luctuoſi obliti prælij: pauci uero infeſtæ ſe pugnæ ſubtrahentes, urbem ſubierunt graui erepti exitio, quorũ liberi & uxores cruenta corpus arma exuerunt multo tabo polluta, omnibus autem calida parata erant lauacra, & tota urbe properabant medici, uulneratorum iuuenum ædes frequentantes ut læſos curarent, quos è prelio reuerſos, uxores & liberi cum gemitu circũſiſtebant, deinde etiã multos non præſentes inclamabant, qui certe acerba deiecti triſtitia iacebant, alta ducentes ſuſpiria ob cruciatus, nec præ afflictione ad cœnã uertebantur. Porro acres equi pabuli inopia hinniebant, Græci autẽ ab alia parte in caſtris & nauib⁹ ſimilia exequebantur. Tum aurora Oceani fluctibus fulgidos eduxit equos, & excitauit mortalium genus, tum quoq; è bellicoſis Græcis, hi quidem ad altam Priami urbem contenderunt, hi uero in caſtris cũ uulneratis manſerunt, ne hoſtilis populus inſultans naues inuaderet, in Troianorum gratiam. Troiani autem è turribus cum hoſtibus pugnam inibant, nam triſte excitatũ erat certamen. Capanei filius ante portã Scæam, ſimul & Diomedes arma intentabant, quos deſuper bellicoſus Deiphobus & fortis Polites cũ alijs

 amicis

Digitized by Google

amicis telis aut ſaxis arcebant, porro galeæ & ſcuta uirorum colliſa reſonabant, quæ triſtem iuuenibus necem & acerbum fatũ propellebãt. Porro Neoptolem⁹ ante Idęas portas armis diſceptabat, & oẽs circa illũ Myrmidones rei bellicæ nõ ignari magnos ſubibant labores, quos è muris infinitis iaculis propellebant fortiter, & Helenus & magnanimus Agenor Troianos extimulantes ad prælium, qui & ipſa magna animi promptitudine certamen inibant, pro charæ patriæ muris, quibus è portis in campũ deſcendentibus, & ſe ad naues recipientibus Vlyſſes & Neoptolemus negocium faceſſebant, quos alto munimento Aeneas magno animi robore præditus prohibuit. Cęterum ad fluxũ Simoëntis Teucer magna difficultate conflictabatur, & alius alia iactabatur miſeria, & tum illuſtres Vlyſſis comites artificioſo illius animo ad pugnã ſcuta parabant, & compoſitis capitibus deſuper iaculabantur, uno autem impetu congruebant omnes, dixeris domus alicuius altum ac denſum eſſe ſeptum, quod nec uento impetuoſe ſpiranti, nec imbribus deſuper fuſis peruium eſt, tales Græcis, condenſatis ſcutis, phalanges corroborabantur, & in unum conſertę, uno

atq;

Digitized by Google

atq; eodem animo prę ſtabant. Porro Troiani deſuper ſaxis iaculabantur, quę ut ab ar dua rupe, in terram omnium altricem deuol uuntur, deinde multæ haſtæ & tela & iacula ſcutis infigebantur, alia iterum decidebant, multa ſeorſum in irritum ferebãtur ſagittis circumflexa, nempe undique iaculantibus Troianis, ſed immenſus ille ſtrepitus non incuſſit Græcis formidinem, non enim cedebant, non ſecus ac ſi tenuis pluuiæ ſonitũ percepiſſent, ſed ſub ipſos muros nitebantur uno agmine, nec quiſquam ſeiunxit ſe, uerum cõſerti inſerebantur ut nubes aërea, quam alicubi media tempeſtate ſummo ex ęthere diſtendit Iupiter: uerum in phalange admodum trepidabatur, ſtrepitus autẽ curſantium pedibus ædebatur, tum uenti puluerem utrinq; obortum repente per campi ſuperficiem diffuderunt, ad iuuenum terga immenſus reſultauit clamor, ut circa aluearia perſtrepũt apes, ſparſim halitus ſuboriebatur & reſpirãtis populi uapor circumfundebatur, at Atridæ magnas efflantes glorias, immenſo afficiebantur gaudio, cernentes intrepidũ pręlij munimẽtum, ac impetu in portas ancipitibus acti ſecuribus connitebantur muros perrumpere, & portas car-

dine

dine motas, ſolo proſternere, quod faſtuoſum cōſilium eos quidē in ſpem erexit, ſed nō ſuffecerūt nec ſcuta nec ſecures, quia Aeneas ſaxū utriſq; ſublatū manibus maxima ui īmiſit, & exitio dedit uiros, quos ſub ſcutis deprehendit, ut in montibus capras ſub eminentiam montis ſe recipientes, præcipitium diruptum obruit, metu trepidant omnes accolæ: ſic Greci ſtupore corripiuntur, hic autem deſuper denſos deiecit lapides: tum phalanges conuoluebantur, ut quando mōtium iuga uno uertice coëuntia aliunde alia Iupiter cœlitus tonitru & ardenti fulmine abrūpat, paſtores & alia omnia quaquauerſum fugæ ac formidinis implentur: ſic quoque Græci omnes metu trepidabant, quia in illos Aeneas impetuoſę pugnæ munimenta diffuderat ſcutis inſtructus, quia deus inuſitatam illi fiduciam ſuppeditauit, nec quiſq̄ hoc prælio in illū oculorū aciem defigere audebat, quia arma circa fortia mēbra fulgebant in morem diuini fulminis, nam horridus Mars caligine circumfuſus, illi aſtiterat, & omnia direxit tela, & fatum & grauem metum Græcis adferentia: pugnabat igitur ut Iuppiter, quando bili concitatus horrida ſtrage deiecit uiolentas gygantum

Digitized by Google

gantum tribus, & immenſam concuſſit terram, & Thetim, & Oceanum, & cœlum, & omnia Atlantis membra commouebantur, laborioſo Iouis impetu: ſic ab Aenea deijcie bantur phalanges in Græcorum pugna, nam hic quacunque per murum ruebat hoſtibus ſuccenſens, & quicquid in manus inciderat urgenti prælium, in hoſtes uibrabat, quia admodum multa, quæ aduerſarijs profligandis uſui eſſent, repoſita fuere in Troianorum propugnaculis: his igitur Aeneas magno graſſatus robore, hoſtiles turmas muris prohibuit, & Troiani magno aſſumpto robore illum cingebant, omnes autem per urbem magna rerum difficultas tenuit, ſiquidem multi tum Troianorum tum Græcorum lœtho dabantur, utrinq; ingens ſuſtollebatur clamor, Aeneas quidē ſuorum animos accēdere nitebatur, ut prompto animo pro urbe, pro liberis ac ſeipſis pugnam capeſcerent. Verum Neoptolemus Græcos hortabatur, ut in oppugnandis muris perſiſterent, dum urbem, ferro & igni deuaſtaſſent, ac utrinq; magna mole confligebant, totum diem præliando conterentes, nec ulla erat pugnæ remiſſio, his quippe ex animo cupientibus pugnando urbem capere.

hiſce

hiſce uero eandem ſeruare nitentibus, Aiax iterum ſeiunctim à forti Aenea pugnãs, ſuis iaculis multis Troianorum exitium attulit, quoniam illi interdum rectà per aërem ferebatur telum, interdum iterum triſti euentu eludebãt triſtia iacula, attamen alium ſuper alium trucidauit: hi uero formidantes præſtantis uiri robur, non amplius in prælio perſiſtebant, ac populus ſe è muris ſubduxit, & tum Locrenſium regis famulus prælio eximius Alcimedon, & ſuo regi & temerariæ iuuentuti obſecundans, belli feruore exæſtuans, agiliter ſcalas conſcendit, ut uitę ſuæ iactura, uiris ad urbem triſtem aperiret aditum, ſcuto igitur munimenti loco obiecto, acerbas cõſcendit uias, intrepida pectori mẽte indita manu, interdum quidẽ atrocem uibrans haſtam, interdũ uero in altum enitẽs, nam hunc celeriter aërea tulit uia, & certe Troianis luctum attuliſſet, niſi illũ ſupereminentem & ciuitatem, & primo & nouiſſime intuentem, ab alto munimento Aeneas inuaſiſſet, quia eum pugna non *latuit*, quamuis hinc procul abfuerat, & *magnum* in caput huius ſaxũ torſit, quod magnis fortis uiri uiribus actum, ſcalas cõminuit, tum ille, ut neruum linquens ſagitta, in præceps

agebatur,

agebatur, & circumuolutum pernicioſum occupauit fatum, & triſtis animus aëri miſtus repente diſparuit, antequàm ad terram cadauer defluxerit, cecidit igitur in thoracē, quia procul ab illo horrida aberrauit haſta, & ſcutum quoque ac galea, uerum Locrenſium populus ingemuit, cum cerneret malo uirum fato domitum, nam illi hirſuti capitis cerebrum alio atq; alio diſpargebatur, & omnia oſſa mutabantur, & membra quoque triſti ſuffundebātur tabo. Tum Philoctetes ut uidit Aeneam in muris magna alacritate pugnantem, feræ uiribus ſimilē, ſtatim emiſit telum, in præclarum uirum dirigens, nec quidem aberrauit, nō tamen penetrauit per ſcutum in corpus, ſed Venus & ſcutum abarcuerunt, attamen nonnihil perſtrinxit pellem ſcuti, nec certe irrito ictu in terram decidit, uerum Aeneæ ſocium inter ſcutū & galeam ferijt, ille autem è turri lababat, non ſecus, ac dama, quem de rupe deiecit aliquis luctuoſo telo, ſic ille collapſus porrectim extendebatur, & uita decedebat, Aeneas autem ob ſocium infenſus iaculabatur ſaxum, & interemit egregium Philoctetæ amicum Toxechinem, cōminuit illi caput, & omnia membra confregit ſecuri, ac animam extin

xit,

xit, quare magnum ſuſtulit clamorem Philoctetes, Tu quidẽ Aenea è muro pugnãs, unde etiam imbelles mulieres cũ hoſtibus confligant, inanem tibi perſuaſionem induiſti, te uirum eſſe præſtantiſſimum, at ſi quid audes, extra muros ſuſtineas in aciem prodire, ut periculum facias, quid poſſet etiam Peantis filius, & haſta & telo. Sic loquenti nihil reſpondit Aeneas etiam reſpondendi cupidus, quia motum erat circa urbis muros miſerum certamen continuo, quod nihil ſe remittebat, nec illis aduerſo prꝍlio preſſis, longo iam tẽpore laborum ſolutio fuerat, ſed nullũ modũ ac finẽ certandi fecerãt.

Libri undecimi finis.

In

IN DVODECIMVM LIbrum argumentum.

CAlchas, coacto optimatum conſilio, declarat ſe augurio edoctum, Troiam ui capi non poſſe. Proinde neceſſarium eſſe, ut ad ſtruendas inſidias ſe uertant. Tum ſtatim in medium proponit Vlyſſes, hoc, de cōdendo equo, conſilium. Aduerſatur Neoptolemus, nempe uiris indignum, dolo rem tractare, ubi uirtuti locus. Sed ille prodigiis monitus, incepto deſtitit, Epæus igitur Mineruæ impulſu, equum illum fabricatur, & vlyſſes Synonem ſubornat, qui ſe ignotum ultro offerret Troianis, ut doceret immanem hanc equi effigiem, Palladi Græcos pro numine læſo offerre. Deinde recenſet, quinam Græcorum proceres in equū ſubierint, & quo pacto Græci Agamennone, & Neſtore, ducibus, ad Tenedi littus ſe ſubduxerint.

QVINTI CALABRI DERELICTORUM AB HOMERO, LIBER DUODECIMUS.

QVINTI CA
LABRI DERELICTO-
rum ab Homero, liber duodecimus.

AT ubi ſe longo labore Troiæ ſub mœnibus defatigaſſent bellicoſi Græci, nec cõficiendi belli ullum extaret indicium, tum Calchas optimatum conſilium coëgit, probe ſciens Apollinis inſtinctu, & auium uolatus, & aſtra, & alia omnia ſigna, quæ deorũ uoluntate mortalibus æduntur, & illos congregatos tali adorſus eſt oratione, Ne hic deſidentes, muros oppugnando, tempus teratis, ſed aliud conſiliũ aut dolum animo ſtruite, qui & nauibus & nobis commodo poſſet eſſe, nã ego heri ſignũ quoddã oculis notaui, accipiter columbã perſequebatur, illa autem pręcipiti uolatu acta antri receſſum ſubijt, tum accipiter ira inflammatus diu obſedit antrum, hęc autem fuga ſibi cõſuluit, at ille iram diſſimulans ramo ſe occultabat, hęc autem inſipientiæ impulſu exijt, illum abijſſe ſperans, tum ille ſublatus miſeræ columbæ exitium attulit, ne igitur

ui

ui tentemus Troianā inuadere urbem, ſed periculū faciamus an dolo aut conſilio conficere queamus. Vt hic finem dicendi fecit, nemo erat qui aſſereret ſe ullum conficiendi belli aut modum aut conſilium excogitare poſſe, attamen in hoc erant omnes ut aliquā technam inuentam darent, ſolus autē Vlyſſes ſua ſolertia reperit, & hęc reſpōdit, Amice dijs immortalibus admodum honorate, ſi uere in fatis, ut Græci Priami urbem uerſutia in ſuam poteſtatem redigant, equū ubi ædificauerimus, nos optimates ad ſtruēdas inſidias ſubeamus, & populus nauibus ad Tenedum ſe recipiat, omnibus prius caſtris igni abſumptis, ut Troiani ex urbe ſpectatū uenientes, intrepidi ſe in campū effundant, tum aliquis fidens animi, quem nemo Troianorum cognoſcat, extra equum maneat, Martio aſſumpto animo, qui Troianos edoceat, Græcos in patriam ſe fuga recipere, cupientes pro reditu ſacrificium facere, equo affabre facto, quē Palladi ob Troianos inſenſæ ædificarunt, & dicendi artificio eo interrogantes Trioanos adducat, ut fidem habeant, licet difficiles ad hæc aures habeant, & in urbem adducant ſtatim miſerabilem, ut nobis ſigno ſit in hoc miſero conflictu,

hiſce quidem ardentẽ efferens facem, alios uero hortans, ut equo ſe educant, quando Troiani ſecuro ſomno oppreſſi iaceant, ſic fatum omnes collaudarũt, ſupra cæteros autem admiratus eſt eum Calchas, quod tale conſilium ac dolum ſuppeditarit, qui Græcis uictoriam, Troianis uero exitium allaturus eſſet. Proinde ita compellat Grȩcorum proceres, Ne ad alium dolum excogitandum animum appellite ô amici, ſed morem gerite bellicoſo Vlyſſi: non enim eſt futurum, ut hæc prudenti uiro in irritum *cadat* inuentio, ſiquidem nunc dij Græcis deſiderium explent: nam uana non ſunt prodigia quæ aliunde alia à Ioue ſe offerunt, ac per æthera reſonant cum fulgure tonitrua: deinde aues populo ad dextram uolant, longa uoce clangentes. Proinde ne hic ad urbem diutius tẽpus teramus, nam neceſſitas Troianis animos addidit, quæ etiam ignauo uiro ad pugnã faces ſubdit, qui tum demũ fortiſſimi uiri ſunt in prælio, ubi collectis animis nullũ mortis reſpectum habẽt, ut *nunc* Troiani intrepidi armis dimicant, pro ſuis mœnibus, magno furoris æſtu impellitur animus. Sic fatum alloquitur fortis Achillis filius, O Calchas, ſolent uiri fortes cum hoſtibus

ſtibus

ſtibus cominus pugnam capeſcere, qui uero campum declinantes è propugnaculis laborant, imbelles cẽſentur, nempe quorum animos metus deijciat, quare ne nunc dolũ ſtruamus, nec aliam q̃uis machinam, par eſt enim ut labore & haſta fortes habeãtur, nã audaces uiri prælio ſunt præſtantiores. Sic loquentem compellat Vlyſſes, Magnanimi Achillis fili, hæc quidem, ut præſtantem & fortem uirum decẽt, magnis fortiter exhauſtis laboribus, uerum age Calchantis conſilio morem gerentes, conſcenſis nauibus, equum ædificemus Epei induſtria, qui architectura præſtat cæteris Græcis, nam illum ipſa docuit Minerua. Vt dixit, omnes cæteros Græcos ſuæ ſententiæ ſuffragantes habuit, extra bellicoſum Neoptolemum, nec quoque Philoctetem magno animi robore conſpicuum eo potuit ſuadendo inducere, nam inexhauſto quodam pugnę amore tenebantur, ideo ad conflictum cõcitabantur, & mandabant ſuis, ut omnia quæ oppugnationi uſui eſſent ad muros ferrent, in ſpem arrecti futurũ, ut urbem capiant, nam uterq; deorũ conſilio ad pugnam ferebatur, & certe ſtatim executi fuiſſent animi ſui deſiderium, niſi id eis Iupiter cœlitus inuidiſſet,

nam terram ſub Græcorum pedibus concuſſit,& inſuper totum cœlum, & ante heroum pedes fulmen deiecit,quo totũ Troię circumiectũ territoriũ perſtringebatur, hiſce igitur ſtatim inijciebatur terror, & uiriũ & fortitudinis obliuiſcebãtur,& præter animi ſententiam illuſtri Calchãti aſtipulabantur,& cum alijs Græcis ad naues ſe receperunt uatem ſuſpicientes, nam hunc uel Iouis uel Apollinis afflatu uaticinari aſſerebãt, in omnibus igitur ſe morigeros prębuerũt, tum fulgida per cœlũ aſtra cirrumagebantur, omnia ſuo ſplendore diſtendentia, & mortales in laborũ obliuionem uenerant, tum certe Minerua immortalium genus linquens naues petijt,tenellam uirginem corporis habitu referens, & bellicoſo Epeo ſupra caput aſtitit per quietem, illiq́ȝ mandauit ligneum fabricari equũ, recipiebat enim futurum, ut properanti ipſa opitularetur,& intrans opus urgeret, tum ille animo gauiſus ſtatim intellexit deæ uocem, & repente ſomno excutiebatur: agnouit enim immortalem deam,nec alio illi animus uertebatur, ſed erat ſemper in opere diuino,nã ars prudentem eius mentem occupauit. Vbi uero pulſis ſub terram tenebris aurora illuxerit,

tum

tum diuinum inſomnium Epeus ut uidit, ut audiuit, cupidis Græcis aperuit, quo audito immenſum quanta diffundebantur lætitia, tum Menelaus, & Agamennon uiros ablegarũt celeres ad floridas nemoroſę Idæ ual les, hi autem abietibus in futurã materiam congeſtis, longas amputarunt arbores, ualles autem ferientium ſonitu remugiebant, & longi colles lignis nudabantur, ac totum nemus omnium oculis peruium erat, trunci autem exareſcebant uentorum flatus deſi derantes, & hæc quidem ſecuribus amputantes Græci repente ex frondoſis montibus aduexerunt ad Helleſponti littora, ſuda bant autem in opere cum iuuenes tum muli, uniuerſus denique populus maximũ exantlauit laborem, aliunde alius Epeo miniſtrans, hi quidem ſerra ſecãtes dimetieban tur & ligna & aſſeres, alij autem ſecuribus le uigabant ramos ab inſectili trunco, & alius alio diſtringebatur negocio, at Epeus primo lignei equi pedes fabricabatur, deinde & uentrẽ, adhęc ſupernè adaptauit tergum, tum poſtea lumbos, ſed antea ceruicẽ, ſuperne autem iubam arduæ ceruici concinnauit, quæ perinde ac uiua fuiſſet moueretur: deinde hirtum caput & caudam pilis obſitam,

præterea aures & oculos pellucidos aliaq́ꝫ omnia quibus mouetur equus, & magnis au ctibus diuinum creſcebat opus, nõ ſecus, ac ſi uitalis adfuiſſet ſpiritus, quia dea uirum deſiderabili donauit arte, & tertio die extre mam operi manum addidit Mineruę inſtin ctu. Porro Græcorum populus gaudio exultabat, demirabatur autem quomodo è ligno animus, è pedibus uelocitas emicaret, nam hinnire uidebatur, & tum Epeus uir di uinus pro inuſitatæ magnitudinis equo pre ces fudit, Mineruæ manus tendens, Exaudi me magnanima dea, me ſerua & tuũ equũ. Sic fatum exaudijt Minerua prudens dea, & reddidit omnibus hominibus admirãdum quicunq; illum intuerẽtur, & ad quos in po ſterũ illius fama dimanaret, at interea cum Græci oculos paſcerent Epei opere, Troiani detrectantes aperto Marte concurrere, munimentis ſe tenebant, mortẽ & acerbum fatum ſubterfugientes. Tum quoq; Ioue ab alijs dijs ſecedente, ad Oceani fluxũ, & The tidos antra, cæteris cœlitibus incidit cõten tio, diuerſo enim diſtracti animo turbas ciebant, & uentorum turbinibus uecti, cœlo in terrã ferebatur, quibus totus reſonuit ęther: at hi ad Xanthi fluxum concedentes, cõtrarijs

Digitized by Google

riȷs ęſtuabant affectibus, hi quidẽ pro Troianis ſtãtes, aliȷ uero pro Græcis. Porro animus belli deſiderio efferebatur, hiſce ſe ſocios addebant, etiã quibus mare ſorte obtigit, & hi quidem ira accenſi cupiebant fraudulentum hunc equum demoliri cum nauibus, hi autem Troiam ſolo æquare, uerũ diuerſum obſtitit fatũ, & tumultu mortalium animos exagitauit, tum Mars reliquorum agmen deſerens, Mineruæ in aduerſum exiliȷt: ſic & aliȷ cõmiſſi ſunt ſibi mutuo, arma autem aurea circa illos commota magnum ędebant ſtrepitum, & mare magnũ circumquaque ſonitu reſultauit, & atra concutiebatur terra, ſub immortalium pedibus, omnia autem magno miſcebantur clamore, qui ad cœlum uſq; penetrauit, & uſque ab magnanimi Plutonis barathra, & Titanes ſubter magno metu trepidabant, ac circum mons Ideus, tum ſonori perenniũ amnium fluxus & longę ualles, tum etiam Gręcorũ naues, & pręclara urbs Priami magno gemitu reciprocabãtur, ſed hoies nullus inuaſit metus, nec perpenderunt ſui cauſa deos cõtentione collidi, hi quidem Idei montis iuga auulſa, in ſe mutuo detorquebant, hęc autem in morem arenæ facile diſſipabantur, diȷs quippe

X v ſine

ſine ullo negocio dirumpẽtibus, ſed id non latuit Iouem, quamuis in extremis terrę partibus ageret, deſerto igitur Oceani fluxu in cœlum reuerſus eſt, hunc autem uehebant Eurus, Boreas, Zephyrus, & Notus, quos iris uarijs coloribus inſignis, tulit diuino iugo æterni currus, quem illis fabricata eſt indefeſſis manibus Aetas, ex indomito adamante. Cæterum peruenit ad arduũ olympi uerticem, & totum concuſſit cœlum, ira inflammatus, alia ſubinde atq; alia tonitrua eliſis fulminibus aures feriebant, quæ nõ dicenda uelocitate ad terram diffundebantur, immenſus autem conflagrabat aër, tum cœlitũ, iniecto terrore, contremiſcebant membra, licet immortales eſſent, hiſce igitur ualde metuens prę clara Themis, non ſecus, ac mẽs diſſilijt per nubes, & ſubito ad illos uenit, nam ſola luctuoſo prælio ſe procul tenuit: tali igitur oratione eos adorſa eſt, pugnam inhibere conata, Triſtem hanc Contentionem miſſam facite, nõ enim par, ut Ioue irato breuis æui hominum cauſa immortales dij armis dimicent: nam futurum eſt, ut ſubito exitio pereatis omnes, ſiquidẽ Iupiter deſuper montibus omnibus in unum confuſis, uos obruens, nec filijs nec filiabus

parcet

parcet, ſed ſimul omnes deſuper immenſa cooperiet terrra, nec unquam in lucẽ uobis patebit reditus, ſed triſti merſi caligine iacebitis in perpetuũ. Sic dicenti morigeri fuere Iouis metuentes minas, ac pugna adſtinebant, & acerba ira procul pulſa, amicitiã iunxerunt, tum hi quidem cœlum repetebant, hi uero maris ſubierunt undas, alij autem in terra manſerunt. Porro inter Græcos prudens Vlyſſes talem habuit orationẽ, Nunc uos duces Græcorũ ſine delectu diſerti certa mihi cupienti coniectura indicium facite, quinam eſtis mirũ in modũ fortes, & præſtantes, neceſſitas enim ita fert, proinde rei bellicæ induſtria nobis ob oculos uerſetur, & elegantem hunc equum cõſcendamus, ut triſtis huius belli conficiendi modum inueniamus: ſic enim ſatius fuerit, licet dolo, & magnis curis euertamus urbem, cuius cauſa huc profecti infinitis malis iactamur, procul à chara patria: proinde agite magnũ pectoribus robur aſſumite, nam fit plerunque ut uir deterior præſtantiorem interficiat in pugna, cum dura adactus neceſſitate audentem induat animum, nam audacia magnopere animos effert, qua nihil eſt præſtantius mortalibus, agite igitur uos optimates inſidijs

diis hic condamini, alij autẽ ad ſacram Tenedi urbẽ uos recipientes, manete tantiſper dum in urbem uos trahant hoſtes putantes Mineruæ donũ adduci, & præſtans aliquis iuuenis Troianis ignotus maneat apud equũ ferreo pectoribus indito animo, & omnia quæ prius narraui meditata habeat, nec quid aliud mente uolutet, ne noſtra conſilia Troianis denudentur. Sic dicenti reſpondit Sinon, alijs metu nutantibus, nam aggreſſurus erat opus haud quaquam exiguum, quare illum id animo concipientem demiratus eſt populus: hic uero huiuſmodi in medium propoſuit, Vlyſſes, & uos alij Græcorũ præſtantiſſimi uiri, ego quidẽ uobis id cupientibus effectũ reddam, etſi futurum ſit, ut me flagellis cõcidant, aut uiuum igni inijciant, nam hæc mihi ſtat ſententia, uel inter hoſtiũ manus animã expirare, uel reuerti magnam Græcis cupientibus gloriam adferens. Sic loquutus cum magna fiducia, Græcis magnam iniecit lætitiam, & dixit aliquis, Quantum huic robur hodie iniecit deus, nõ enim antea erat audax, ſed deus extimulat, ut omnibus Troianis exitio ſit, aut nobis ipſis, ſiquidem nũc perſuadeo mihi ſubito futurũ, ut difficilis belli certus figatur terminus. Sic dixit

Digitized by Google

dixit Græcorum aliquis. At Neſtor aliunde extimulans inquit, Nunc chare fili, opus eſt neruis & egregia audacia, nunc enim laboris terminum & inſignem uictoriam nobis deſiderantibus, dĳ in manus adducunt, ſed agite cum magna fiducia capacem ſubite equum, quia fiducia magnā mortalibus gloriam conciliat. Vtinam tanto mihi robore florerent genua, quanto cum Iaſon ad nauem Argos conuocauit primarios Gręciæ uiros, quando ego primus optimatum, cōſcendere conatus fuiſſem, niſi me diuus Pelias inuitum detinuiſſet, nunc me triſtis inuaſit ſenectus, at quamuis ita mecum agitur, tamen perinde ac uirenti ætate iuuenis conſcendam in equū audacter, deus autem audaciam & gloriam ſuppeditabit. Sic dicentē compellat Neoptolemus, Tu quidem ô Neſtor, mente præſtas omnibus, ſed dura occupauit ſenectus, nec ſtabiles ſuppetūt uires laboris indigo, quare oportet te ad Tenedi littora cōferre, nos iuuenes quos nulla adhuc pugnādi ſatietas cepit, inſidias tendemus, & tu uenerande ſenex cupientibus iniunges. Huic ita loquenti propius ueniens utraſq; manus exoſculatus eſt, & caput deſuper, quia recipiebat futurū, ut primus equū cōſcenderet,

cõſcenderet, quem nihil erat quod inuitaret foris manere, quãuis uenerabilior, cupiebat nanq; cũ alijs Gręcis labores adire; igitur eũ pugnę cupidine accẽſum alloquitur, Tu plane illum patrem, nempe diuũ Achillẽ & uiribus & ſapienti oratione repreſentas, habebat enim me ſpes futurum, ut tuis manibus Græci in ſuam poteſtatem redigerent Priami urbem, ſed ſero labores magnam nobis gloriã parient, quos ingentes in prælio exhauſimus, cum ſummis cruciatibus, nam dij mortalibus ante pedes mala ſtatuerunt, bona autem ad modũ procul, labores uero in medium inſeruerũt, quare prona ad acerba mala, iuuenibus uia eſt, ſed aſpera ad gloriã, tantiſper dum quis luctuoſum laborem pedibus tranſmiſerit. Sic fato reſpondit pręclarus Achillis fili⁹, Faxit deus mi ſenex, ne fruſtra ſpem foueas, quia id multo ſatius eſt, at ſi dijs ſecus uiſum fuerit, hoc quoq; fiat, mihi quidẽ optatius eſſet aduerſo Marte cum gloria occumbere, quàm ut in fugam actus, multa referrem probra. Sic fatus immortalia ſui patris arma humeros induit, tum ſtatim & ipſi heroum præſtantiſſimi ſe armabant, qui animi magnitudine cæteris anteirent, quos nũc mihi roganti ſingulatim Mu

Digitized by Google

ſæ referte, quinam capacem illum equum ſubierunt, uos enim omnē animo meo cantum indidiſtis, anteq̃ genas prima ueſtiret lanugo, cum Smirnenſi agro oues paſcerē, qui ter tantum diſtat ab Mercurij templo q̃ quis clamantē percipere poteſt, prope Dianæ phanum in libero horto, monte nō admodum humili, nec quoq; perinde arduo, primus quidē immanē equum ſubijt Achillis filius, ſimul & fortis Menelaus, tum Vlyſſes & Stenulus & Diomedes, deinde Philoctetes & Anticlus & Meneſthus, pretererea magnanimus Thoas, & flauus Polipetes, & Aiax & Eurypilus, tū diuinus Thraſimedes: Meriones, Idomeneus ambo illuſtres uiri, cum his bellicoſus Podalyrius & Eurymachus & diuus Teucer & magnanimus Ialmenus, deinde Thalpius Antilochus & Leonteus, Eumelius, Euryalus, Demophoon, Amphimachus, Agapenor, Acamas, Meges fortis Philei filius, prę terea alij quoſcunq; cæteros ſupereminentes uirtute equus capere potuit. Porro Epeus qui equū fabricatus erat, optime nouerat receſſus illos aperire, ac iterum affigere, ergo nouiſſimus omniū intrauerat & attraxit ſcalas quibus cōſcenderunt, omnibus autem bene pa

ratis

ratis ad clauſuram ipſe conſedit, at hi omnes ſilentiū agebant medio exitij conſtituti, alij uero incenſis caſtris, quibus antea quietē capiebant, nauigijs ſe ſubduxerūt, quibus duo fortes uiri imperarunt Neſtor & Agamennon, hos quanquam cupientes equum conſcendere prohibuerunt Græci, ut nauibus manētes alijs quod ex uſu eſſet, indicarent, quia multo rectius uiri opus aggrediuntur, quando prę oculis habent reges ſuos, huius rei gratia hi manſerunt, licet ex optimatibus eſſent: celeriter igitur ad Tenedi littora peruenerunt, ubi eiectis fundo anchoris impetuoſe nauibus proruerunt, & retinaculis littori alligatis, manebant illic quieti expectantes, dum elata face ſignum cupidis æderetur. Porro qui in equo erant non procul ab hoſtibus, interdū quidem exiſtimabant plane de ſua ſalute actum eſſe, interdum uero perſuadebant ſibi futurum, ut ſacram urbem uaſtarent, & hæc ſperantibus illuxit aurora. Porro Troiani fumum ad Helleſponti littora ſubſilientem uiderunt, nec naues erat cernere, quib⁹ grauis ſibi è Gręcia pernicies aduecta eſſet: lętabundi igitur omnes littora effuſo curſu petebant, armis aſſumptis, nam adhuc metu obtinebātur, deinde

equum

equum affabre factum uiderũt, quem admirati ſunt circumſtantes, nam opus erat inuſitatæ cuiuſdam magnitudinis, non procul iterum ab equo miſerum Sinonem deprehenderunt, & percunctantes de Gręcis aliunde alij cingebant mediũ, & primo blandis uerbis adoriebantur uirum, poſt autem horridis minis, & multis diu fraudulentum hominem uerberibus dilacerabant, hic uero tanquam rupes perſtitit immotus, inuicta gerens membra. Porro tandem auribus ſimul & naribus mutilarunt, indignis prorſus modis accipientes, ut uerum exculperent, quo nempe Gręci ſe nauibus cõtuliſſent, & quid equus conderet aluo, hic uero obdurato animo, talia fraudulento pectore in mediũ deprompſit, Græci quidem nauibus aufugierunt triſtis ac diuturni belli tędio enecti. Cęterum ex Calchantis ſententia, Mineruę fabricati ſunt equũ, ut deæ iram qua, ob Troianos, exardeſceret declinarẽt. Porro in reditu Vlyſſis inſtinctu mihi exitium pararunt, ut me prope mare dijs marinis hoſtiam cæderent, quod me non latuit, ſed triſtia libamina ac molam ſalſam repente fugiens diuino monitu ad equi pedes me proſtraui, hi uero præter animi ſui ſententiam neceſſita-

te compulſi mihi manus abſtinuerunt, ueriti animoſam magni Iouis filiam, talem habuit orationē dolis ac mendacijs plane conſutam, nec animo doloribus ſuccubuit: nam eſt uiri fortis neceſſaria ſufferre mala, quibus ille alios quidē in ſuam adduxit ſententiam alij uero aſſerebant eum impoſtorē eſſe uerſipellē, nempe quibus cordi fuit Laocoontis conſilium; hic enim conſulta loquutus aſſerebat dolum eſſe magnum à Græcis cōtextum. Proinde author fuit omnibus, ut ligneum equum flammis ſubiectis urerent, & cognoſcerent quidnam aluo conderetur. Cui certe fidem habuiſſent, & exitio ſe eripuiſſent niſi Minerua in animo ſuccenſens, & ipſi & Troianis & urbi, terram ſub Laocoontis pedibus commouiſſet, quare metu cōcuſſus inhorruit totus, uir magnanimus, & nox atra capiti diffundebatur, & acerbus palpebris cruciatus incidit, oculiq; ſub hirtis ſupercilijs diſtorquebantur, pupilli autē magnis confixi doloribus, ſuis ſedibus mouebantur, circumagebantur quoque lumina ſubitis cruciatibus confecta, acerbus certe dolor ad ipſam uſq; cerebri pelliculam aut fundamētum penetrauit, & oculi nunc quidem multo ſuffuſi ſanguine apparebāt, nunc iterum ingenti cruciatu flammeſcebant, ſæ

Digitized by Google

pe autē defluxerunt humore, non ſecus, atq; dura petra aqua montibus deiecta, ac nimbis aucta diſtillat. Proinde furēti ſimilis cernebat omnia duplicia, ac triſtes ducens gemitus, adhuc Troianis mandabat, non habuit enim doloris ſui rationem. Tum dea eum lumine priuauit, albeſcebant enim ſub ſupercilijs oculi, exitiali ſuffuſi tabo, populus autē alta trahebat ſuſpiria, amici uiri miſertus, & immortalem Mineruam formidabat, ne quid inſipientia delinqueret, illis igitur exitiali metu cor ita concutiebatur, quia male mactaſſent corpus miſeri Sinonis, ſibi perſuaſum habentes, omnia eum uera dixiſſe, quare non illubenter illum in urbem ducebant, quamuis ſera eos miſericordia ſubijſſet. Proinde collecti omnes catenā cito circumiecerunt, magno equo deſuper ligato, quia pręſtans Epeus immanibus eius pedibus rotas ſubdidit, ut Troianorū iuuenum manibus in urbem tractus ſequeretur: hi uero omnes in unum coacti magna ui trahebant, haud ſecus, ac nauē magno labore iuuenes in mare detrahunt, fortes circumgemunt phalāges preſſæ: carina autē grauiter ſtridens, ac utrinque nutans in maris undas delabitur: ſic illi ſuū malum in urbem nem-

pe Epei opus pleno agmine cõnitentes tra
hebant, multis id coronis exornantes, ipſi
frondibus reuincti. Populus autem canebat
ſe mutuo exhortans. Ridebat certe Bellona
exitialem belli exitum proſpiciens, & ex al
to, Iuno animi oblectabatur, arriſit quoque
Pallas: hi uero ſuam urbem petentes ſolutis
ac dirutis munimentis fatalem adduxerunt
equum: at ulularunt Iliades, ac circumſtan-
tes magnum opus intuitæ, demirabantur,
quod illis exitiũ occulit. Cæterũ Laocoon
non deſtitit hortari ſuos, ut equum igni ua-
ſtarẽt, ſed nemo eius ſubſcribebat ſententię,
nam deorũ minas formidabãt, quare aliud
quippiam peius bellicoſa Minerua medita-
ta eſt miſeris Laocoontis filijs: erat enim an
trum quoddam ſub alta petra, immani receſ
ſu, hominib⁹ minime penetrabile, quod hor
ridæ incolebant feræ, pernicioſi Typhonis
progenies, iuxta inſulę anfractus, quam Ca
lidnẽ uocant mortales in mari ſitã, è regio-
ne urbis Troię, hinc immanes draconis ex-
citos Troiã accerſijt, hi autem ſtatim à dea
exagitati ſuam inſulam commorunt, fit ſo-
nitus ſpumante Salo illis proruẽtibus, & flu
ctus ſulcabantur, tum ſibila lambebant lin-
guis uibrantibus ora. Porro Balænæ maris
inhor-

inhorruerunt: præterea etiam nymphæ fla ui Simoëntis filiæ ingemiſcebant, cœlitus autem Venus indignabatur: hi uero properabant, quo dea ſtimulabat, pernicioſos dentes horridis acuẽtes genis in miſeros filios: Troiani uero in fugam uertebantur, cum uiderent per urbẽ horrenda monſtra, nec quiſquam iuuenum, licet intrepido animi robore eſſet ſuſtinere audebat: omnes enim triſti corripiebantur metu, feras fugientes, dolor quoque occupabat mulierum animos, ploratu omnia miſcebant, & quælibet liberorũ ſuorum oblita ſe triſti fato ſubducere conata eſt, circumcirca autẽ tota Troia illis ruentibus ingemuit: multi igitur in unũ conglomerati mẽbra comminuebãt, tũ omnes uię trepidantium & circumcurſitantium gemitu reſonabant, uerum ſolus Laocon cum filijs ſeorſum deſertus erat, nã exitiale fatum & dea illi moram iniecerunt, tum angues illius utroſq; filios exitium exhorrentes, pernicioſis abripuerũt genis, patri manus porrigenti, nec tamen opitulari ualenti. Porro Troiani eminus id cernentes plorabãt, animis ſtupore defixis, tum hi promptè executi Mineruæ præceptum Troianis inuiſum, ambo terrã impetu ſubierunt, quorũ adhuc

 extabat

extabat ueſtigium,quo Apollinis templum in Pergama ſitum ſubierũt,ante quod Troiani in unũ coeuntes, Laocoontis filijs crudeli exitio uaſtatis inanem erexerunt tumulũ, at pater oculis lumine caſſis lachrymas ſuperfudit, mater uero uberes quæſtus fundens ad inanẽ tumulum obſtrepebat, aliud peius ſibi metuens,defleuit igitur calamitatem, in quã uiri ſui inſcitia impegerat, nam deorũ iras formidauit,ut quando deſertum circa nidum quiritatur philomela, magno enim cruciatu cor exedens in ualle arboribus obſita,cuius tenelli adhuc puelli anteq̃ obſtrepero reſonarent cantu,perierunt horrendi draconis maxillis,& matrẽ in luctum coniecerunt,nam immenſum quanta percita indignatione plorat in uacua domo,magno ædito clangore:ſic illa crebros ducebat gemitus ob filiorũ exitium, plorans ad eorum tumulum, tum ſimul & aliud malum haudquaquam exiguum ob perditum maritum incidit,hos quidẽ deflens perditos, illum uero oculis captũ. Porro Troiani dijs ſacrificia parabãt, ſuaue diſtillantes uinum, quia in ſpem erecti fuerant graue triſtis belli onus humeris diſcuſſum iri,uerum hoſtię concremari haud poterant,nam ignis extin

guebatur

Digitized by Google

guebatur uapor, denſis quippe supernè diffuſis imbribus, ſed ſanguinolentus ſuboriebatur fumus, omnia autē femora humi ceciderunt trementia, tum altaria lababant, & libationes in cruorem ſe uertebant, dij autem lachrymis defluxerunt, & templa tabo rigabantur, & ultronea ducebātur ſuſpiria, deinde muri concutiebant, & turres magno reſonabant ſtrepitu, nō ſecus, ac ſi uera oppugnatio fuiſſet, præterea portarū uectes ſponte aperiebātur, grauiter ſonantes, & nocturnæ aues per ſolitudinem uociferantes, ferali carmine queri uidebantur, ad hæc omnia aſtra ſupra ciuitatē caligo prætexit, cum tamen cœli ſplendor nullis obfuſcaretur nubibus: deinde ad Apollinis templū Laurus areſcebat, cum tamen antea frondibus luxuriaret: præterea lupi & urſi horrende rugiebant, extra portas. Cęterū infinita apparebant ſigna Troianis & urbi excidiū adferentia, uerū nullo metu cōcutiebantur Troianorum pectora, cum cernerēt omnia hæc triſtia prodigia per urbem: fata enim omnibus mentem exuerunt, ut in conuiuio Argiuorum manibus cæſi fatorum leges explerent, at ſola Caſſandra erat mente minime mota, ac ſapienti conſilio, quæ nunq̄ uano

 eludebat

eludebat uaticinio, quin ſemper rem acu tetigit, uerum fato quodam fiebat, ut tamen tanq̃ uanum id audiretur, ut dolores Troianis cumularentur, quæ ubi triſtia hæc ſigna in urbe animaduertit, in unum omnes cogens, magnum ſuſtulit clamorem, tanquam leęna, quam inter denſa uirgulta uir aliquis predæ cupidine accenſus, uulnerauerit, aut iecerit, huius uero in pectore marceſcebat animus, quocunque per montes latæ, nam intolerando diſcruciatur dolore, ſic illa cupiens uaticinium depromere domo ſe proruit, comę diffuſæ erant humeris candidis, ad pectus uſq; demiſſę, oculis autem maximus abſiſtebat fulgor, & collum perinde ac truncus uentis exagitatus, quacunq; mouebatur, magnosq́; trahens gemitus uociferabatur, egregia uirgo, Miſeri nunc tenebras ſubimus, nam noſtra urbs igni, ſanguine, ac triſti exitio exundat, quacunq; dij triſtia exhibent prodigia, & ipſa pernicies, ante pedes eſt miſeri, nec cognitumhabetis malum fatum, ſed omnes mente capti, gaudia ac lætitiam agitatis, nam magnum uos latet exitium, uerum non eſtis dicto audientes, nõ ſi multis uerbis utar, quare Furiæ ob malas Helenæ nuptias iratę, cum acerbis fatis quacunq;

quacunq; per urbem ruunt,at uos triſti con uiuio, triſtes celebratis epulas,malo pollutas tabo,ſæuã umbrarum uiã attingentes,& aliquis illam cõuitijs inceſſens pernicioſam deprompſit orationẽ, Filia quid te nunc intemperans lingua & maledicẽtia impellunt ad uaniloquentiam,nõ certe uirginali & intacto pudore teneris,ſed in rabiem efferris. quare mortales omnes te ignominia afficiunt ob multiloquium, ualeas & Græcis & tibi ipſi male ominari pergas, ſubito te & maior occupabit cruciatus, quam propudioſum Laocoonta;non enim par eſt, ut inſcitiæ impulſu eleues grata deorum dona. Sic dixit Troianorum aliquis in urbe, quin & alij omnes puellã nigris ſermonibus carpebant, nec fatebantur illam ſibi conſtantia dicere,quia iſtos exitium & acerba uis fati circumſiſtebat,proinde ſuum exitium nõ percipientes animo, conuitijs illã ab equo depulerunt, nam animo uerſabat diſſipare omnia ligna,aut æſtuante abſumere flamma, quia ardentis picis face adhuc flagranti foco abrepta ruebat, cum magna animi promptitudine,altera gerebat ſecurim ancipitem magno autem furore in equum lata, ut triſtes inſidias euidenter cernerent Troiani:

hi uero ſtatim igni & ferro excuſſis è manibus triſte ducebant conuiuium. Porro nox ultima ingruebat, Græci uero intus gaudio perfundebantur audientes conuiuantium Troianorum ſtrepitum, per Ilium, nullum Caſſandrę reſpectum habẽtium, quam ipſi demirati ſunt, uere cognoſcentem quod Gręci iniiſſent conſiliũ, hæc ut pardalis ruit, per mõtes cachinnans, quam à ſtabulis impetuoſe profligarunt canes, & ærumnoſi paſtores, & tũ ea agreſti pectore prędita, ſubinde reſpectãs retro agitur magno animi dolore affecta, ſic illa ab equo decedebat, licet miſeris agitaretur affectibus ob Troianorum cædẽ ſiquidem plane id malũ animo pręceperat.

Libri duodecimi finis.

Digitized by Google

IN DECIMVM TERtium librum argumentum.

TRoiani Gręcos abiiſſe rati conuiuia agitabant, quibus uino ſomnoq; ſepultis, Græcorum proceres equo deſcenderunt, & Sinone facē efferente alij, qui in Tenedi littore, inſidijs conditi fuere, ſe adiunxerunt comites. Proinde hi iunctis uiribus in Troianos graſſantes, cædibus, incendijs, rapinis omnia miſcuerunt, Priamum obtruncat Neoptolemus, Aeneas Græcorum ſagittis impetitur, tum Calchas uates ingerit ſe in mediū, ut Græcos reprimeret, ne durius in diuinum uirum conſulerent, Menelaus irrumpit in thalamum Deiphobi, eumq; trucidat ſomno oppreſſum, at Helenam intuitus amoris ſtimulis exagitatur, & ficto animo ferrū in eam ſtringit, ſed à fratre Agamennone inhibetur. Porro Laodice Priami filia, Græcis perſequentibus, Ioui preces fundit, ut ſibi terra dehiſceret, ne in hoſtium poteſtatē redigeretur, quod factum eſt.

Digitized by Google

QVINTI CALABRI DERELICTORUM ab Homero, liber decimus tertius.

HI quidem per urbem conuiuia agitabant, inter quos tibia cum fiſtulis magna melodia reſonabat, & circumquaq; cantus in tripudijs, & uoces conuiuantiũ ſine delectu iactabãtur, ut fieri ſolet inter pocula, & epulas, ſic aliquis pleno poculo manibus aſſumpto, ſecurus potabat, & mentes crapula grauabantur, & oculi caligabant, & aliud ad aliud uerbum ore prodibat, tumultuarie effuſum, & ſi quid erat in ædibus præcioſum oſtentabatur, quin & ipſa domus omnium oculis patebat, non ſecus, ac fieri ſolet rebus commotis, omnia putabantur circumferri per urbem, nam caligo offundebatur oculis, quia mero flacceſcebant lumina, & *mens* iuuenũ uino excutiebatur, ut fit, cum nimia copia pectus inundat, & capite grauato pręcrapula, talia effudit, Certe miſeri Græci in irritum magnas contraxerunt copias: *non* enim

enim explerunt quę mente parabant, ſed di lapſi ſunt, noſtra urbe relicta, non ſecus, ac pueri tenelli, aut mulieres. Sic dixit Troianorũ quiſpiã mente uino impedita ſtolidus, nec animaduertit exitiũ ſibi pro foribus eſſe. Porro ſtatim atq; ſomnus per urbẽ aliun de alios complecteretur immenſa & uini & cibi copia obrutos, tũ Sinon ardentẽ extulit facem, Gręcis ignis ſplendorẽ exhibens, nam magno curarũ æſtu fluctuabat, ne Troiani id cernerent, & omnia ſubito in cõtrarium uerterẽtur, ſed hi in thoris compoſiti nouiſſimum carpebant ſomnum, multo grauati uino, at è Tenedo uidentes id, nauigationẽ adornabãt, tum ipſe Sinon ad equũ ſe recepit, & ſuppreſſa uoce clamabat, ne Troianorũ quiſpiam id reſciſceret, ſed ſolũ Græcorũ duces, quibus procul aberat ſomnus, cupientibus ſe labori accingere. Proinde omnes qui intus erant audierũt, & Vlyſſi aures admouerunt, hic uero id eis negocium dedit, ut tacite & intrepidè ſe educerent, hi uero morem geſſerunt, ad laborem extimulanti, & ex equo humi deſcendere conitebãtur, ille uero ſua ſolertia cohibuit omnes properantes, & cito manibus lignei equi latera hinc atq; hinc aperuit fortis Epei induſtria,

ſtria, & ſe nonnihil demiſit, oculos quaqua uerſum circumferens, an alicubi Troianos cerneret uigilum munia obeuntes, ut quando lupus maleſuada fame in rabiem actus, è montibus magna cibi inopia laborans ad latum ouile properat, fugiens igitur & uiros & canes qui magno ſtudio connituntur ouium cuſtodiā agere, preſſo uenit ueſtigio, ad ouium ſepta: ſic Vlyſſes equo deſcendit tum alij pręſtantes Gręcorum ductores ſequebantur ordine per ſcalas digredientes, quas Epeus ſtruxiſſet uias ſubeuntibus & deſcendētibus, illi igitur aliunde alij deſcenderunt, magno animi robore præditi, nō ſecus ac ueſpę, quas turbauit frondator, illę ſimul conglomeratæ, ac furore elatę, ramo ſuperfunduntur, ubi ſtrepitum audierunt: ſic illi magna animi promptitudine equo dilabebantur in Troianorum urbem, ac cor eis in pectore palpitabat, & ſtatim, facto impetu, in hoſtes inuehebantur, alij autem remigijs mare uerrebant, at naues ſecundo curſu ferebātur in magno fluxu. Thetis autē *prę*munijt uiā ferentes immittens uentos, Græcorum autem pectus gaudio prætētabatur. Proinde ſubito ad Helleſponti littora appellentes, naues illic ſtabiliebant, & docte contraxerunt

traxerunt inſtrumenta omnia, quæ nauibus ſemper adſunt, ipſi uero egreſſi impetu ad Ilium ferebantur, nullo prępediente metu, perinde ac oues ſe è nemoroſis paſcuis ad ſtabula corripiunt ſub noctē autumnalem, ſic illi omni uoce ſuppreſſa, urbē petebant, proceribus ſuis opem ferre cupientes, ut lupi, qui acerba fame exciti, in ſtabulũ impetum faciunt, per montes & ſyluas, paſtore quippe ducente ſomnos, & alias ad alias mactant, intra ſeptum, atra in nebula, quacunq; omnia ſanguine & cadaueribus miſcentur, magna autē patratur ſtrages, pluribus quippe Græcis etiā in urbe graſſantibus, ubi igitur omnes intra mœnia recepti eſſent, tum magna alacritate accenſi ad Priami ſedē horrendo impetu rapiebantur, Mauortium ſpirantes robur, deprehendunt enim totũ oppidum prælio ac cadaueribus plenum, ubicunque enim luctuoſę domus incendio collucebant, tum magno animi gaudio afficiebantur, proinde & ipſi Troianis exitiũ machinantes irruebāt, per medios furioſo graſſabātur impetu & Mauors & Bellona, quocunq; ater profluxit ſanguis, terra uero rigabatur pereuntibus, & Troianis & peregrinis auxilijs, quorum hi quidem horrenda

obuincti

obuincti morte, per urbem in ſanguine uolutabantur, alij uero ſupercumulabantur ſuum robur expirantes, tũ hi ſua inteſtina manibus tenentes, miſere palantes agebantur per domos, alij autem pedibus ſubtus amputatis per cadauera obreptabant, immenſum cientes ploratum, deinde multis ad pugnam ineundã paratis, manus & capita deſringebantur: præterea fugientiũ tergis haſtæ aliunde transfigebantur, recta ad papillas uſque, alijs iterum, ut per lumbos ageretur ſupra uerẽda ubi maxime indomiti Martis cruciabilis cuſpis, deinde nuſquam *non* erat audire triſtem canum ululatum, & acerbum percuntium iuuenũ gemitum, circumquaq; autem reſonabant immenſo ploratu omnes ædes, ploratus uero fœminarũ non diſſimilis erat gruum clangori, ubi cernant aquilam ex alto per aërem irruentem, non enim eſt illis animus in pectore pręſens, ſed ſolum longo reſonant ſtridore ſacrã fugientes auem: ſic quoq; Troianæ fœminæ aliunde aliæ ululatum tollebant, hæ quidem è lectis coëuntes, alię uero per terram diſcurſantes, hęc quidem neglecta mitra & membris ſola tunica inuolutis, temere oberrabat, alię nec flãmeo nec peplo aſſumpto, ſed irruentes

tes

Digitized by Google

tes hoſtes exhorrentes perplexe hęrebant, pectoribus metu palpitantibus, ſolum manibus uerenda occultantes, calamitoſę, aliæ iterum miſeris modis è capite comam uellebant, & pectora palmis tundentes, ploratui totas laxabant habenas, aliæ uero infeſtę pugnæ ſe offerentes, formidinis obliuiſcebantur, pereuntibus uiris aut liberis opitulari cupientes, quoniam neceſſitas magnã iniecit audaciã, deinde ploratus infantibus ſomnos excuſſit, quorũ animi adhuc curarum neſcij, alij quidem ſuper alios expirarũt, alij iterũ ſuperfundebantur, inſomnijs, exitium præſagientes. Porro acerba fata miſerè gaudebant ob pereuntes, nam hi ſternebantur, perinde ac obeſæ ſues in regijs ædibus infinitæ cęduntur, conuiuium inſtruentes, & uinum in poculis relictum miſcebatur cruori, nec erat quiſquam qui ferrum circumferret ſanguine non imbutum, nõ quidem etſi admodum imbellis fuerit: ſiquidem Troiani exitio dabãtur, perinde ac oues urſorum aut luporum dẽtibus, feruenti meridiei ęſtu in paſtoris abſentia, cũ opaco loco omnes cõiunctę maneant lacte domum ablato, hic jrruentes capaci uentre diſtento atrũ potant ſanguinem, & perſiſtentes omnem perdũt

Z gregem

gregem & acerbas parant epulas miſero pa ſtori: ſic Troiani in Priami urbē extremo il lo prælio irruentes cædē cæde cumularunt, nec quiſquam erat Troianorum immunis à uulnere: proinde omniū membra diſperſa iactabantur multo deformata ſanguine, nec certe Græcis hoc prælium nullo ſanguine conſtitit, ſed partim poculis, partim menſis deiecti, alij titionibus ardenti foco abreptis, aut uerubus perfoſſi animam efflarūt, iuxta quos etiamnum uiſcera porcorū calida reli cta erant, feruidi ignis uapore adurente, alij iterum ſecuribus ac aſcijs præſecti in ſan-guine palpitabāt. Porro ijs digiti ferro ad-moti amputabantur, nempe qui ſcite admo lirentur manus, ſperantes triſtia depellere fata, alius ſocij ſui occiput cerebro cōfodit, uibrato per aciem ſaxo. Proinde hi, ferarum in morem, quæ uulnerantur in ſtabulis, pa-ſtore in agro agente, bili commota graſſan-tur ſæuiſſimè, funeſta illa nocte magno pu gnandi deſiderio exæſtuantes, ac circa Pria mi tecta aliūde aliū pugna trucidarūt irruen tes, multi quoq; ex Græcis haſtis deiecti ſunt, ſiquidem quicunq; Troianorū è tectis pro-ruentes, aut ferrū aut haſtam manibus cor-ripere properaſſent, hoſtes ſternebant, etſi

uino

Digitized by Google

uino etiam grauarentur. Cæterum magnus urbem ſplendor illuſtrabat, quia multi Græcorũ manibus faces geſtabant, ut inter præliandum & ſuos & aduerſarios dilucide uiderent, & tum Diomedes bellicoſum Corebum Mygdonidis filium, ſecũ congreſſum haſta per ſtomachum, qua cibus & potus in uiſcera traijcitur, fixit, quẽ ſtatim mors atra haſtæ circumplicita occupauit, & in ſanguinem & aliorum mortuorum gentem dilapſus eſt ſtolidus, nec ullum è cõnubio fructum demeſſuit, cuius gratia pridie ad Troicam expeditionem ſe recepiſſet, & ea lege Troianis ſuam aſtrinxerat fidem, ut Græcos ab Ilio depelleret, ſed deus ſpẽ eius fruſtratus eſt, nam fata illi deſtinarãt exitium, ſimul etiam interemit Eurydamantem ſibi obuium factum, bellicoſum Antenoris generum, qui prudentia maxime inter Troianos præſtitit, hic & Ilioneo uenerando ſeni occurrit, & in illum ferrum ſtrinxit, tum illi membra ſenili corpore infringebantur, & hac quidẽ enſem, hac uero genu tetigit, Sanguinarij herois, at hic licet magno pugnandi furore urgeretur, tamen uel ira flacceſcente, uel diuino monitu leni uerbere ſenem ferijt, ut quid diceret precatus fortẽ & acrem

uirum, hic autem repente miſerabiliter illi manũ iniecit, nam acerbo obtinebatur metu, Ad tuos, inquiẽs, me pedes abijcio, quicunq; es bellicoſorum Græcorum, pudore retractus à ſene manus abſtineas, & acerbã reſtinguas iracundiam, ſiquidem magnam ſibi parit gloriam, qui interemit uirũ uirenti ætate fortem, at ſi ſenem, nulla te fortitudinis laus comitabitur, proinde manus à me amotas in florentis ætatis homines conuertito, ſperans futurum, ut & tu quoque ſenectæ limina attingas. Sic dicẽtem compellat Diomedes, Senex, me quidem ſpes habet futurum, ut ad ſenectam prouehar, ſed dum mihi ſuppetunt uires, nõ ſinam quenquam uitæ meæ hoſtem ſupereſſe, ſed omnes orco dimittam, quoniam uir præſtans de hoſte ſuo ſemper ſuppliciũ ſumit. Sic fatus exitiale ferrum in eius guttur impegit, & corecta egit, qua mors q̃ citiſſime animas & graues ſanguinis uias petat, proinde illum Diomedis manibus deiectum acerbum comminuit fatum: hic igitur in heroas graſſans ruebat per urbẽ ingenti ſuo robore furens: deinde & Synabantẽ interemit, & longa proſtrauit haſta præclarum Eurycoontem Perymneſti filiũ, Aiax autem Amphimedontem

tem, & Agamennon Amaſteridē, Idomeus Minantem, deinde Miges Deiopeten, at Achillis filius indomita haſta interemit Pammonem: tum iterū torquebat in Politen irruentem: pręterea etiam Teſiphonum mactauit omnes ſimul Priami filios, mox etiā Agenorem in prælio ſibi obuium factum, alium uero ſuper alium ex heroibus interfecit, nuſquam non ſe triſte obtulit fatum pereuntibus, at hic patris ſui robore indutus, & inexhauſta quadā ſanguinis ſiti æſtuans ſtrauit ac fudit in quoſcūq; incidit, ipſi quoque Priamo hoſtium regi, infeſto animo occurrit, ad Mercurij aram: hic uero ut uidit Achillis filium agnouit, cum adhuc procul eſſet, nec ullo deijciebatur metu, ut qui ſpē conceperat fore, ut ſuper filiorum ſtragem interimatur. Hac igitur gratia illum compellabat mori cupiens, O præſtans bellicoſi Achillis fili interfice, nec te ulla ærumnoſi hominis miſericordia tangat: non enim ego talia ac tanta paſſus, ſolis (qui terrarum flammis opera omnia luſtrat) lumen intueri cupio, ſed iam cū filijs perire, ac in magni doloris triſtiumq; turbarum obliuionem uenire: utinam me tuus pater lœtho dediſſet, anteq̄ uidiſſem incendio conflagrare Ilium,

cum illi ob interfectum Hectorem dona ferebam, quem tuus peremit pater, ſed id quidem in fatis erat, at tu te noſtro ſanguine ſatura, ut in malorum obliuionē adducamur. Sic dicentem interpellat Neoptolemus, Tu me, ô ſenex cupidum & properantem hortaris, nō enim te hoſtem inter uiuos eſſe ſinam: nihil enim homini anima eſt charius. Sic dicens canum ſenis caput pręſecuit, ſine ullo negocio, non ſecus, ac ſi quis intenſo æſtatis feruore ſegetes demeſſuerit, at caput admodum reſonās uoluebatur per terram, procul ab alijs membris, quibus homo mouetur, dilapſum autē erat in atrum cruorem & in promiſcuam aliorum ſtragem, tum fœlicitate, tum genere, & magna filiorū caterua omnium præſtantiſſimum, ſed enim gloria non diu creſcit mortalibus, uerum de improuiſo irruit probrum: hic igitur fato procubuit, & malorum obliuiſcebatur: at Græci aſtia nacta Hectoris filium ab ædita turri deiecerunt matris ulnis auulſum, Hectori infenſi, quia cum in uiuis eſſet, eis exitiū ſtruxerat, quare hoſtili quoq; animo fuerant in ſuam ſobolem, eius igitur filium paruum ab alto ſepto in præceps egerunt, nondum belli peritum, perinde ac uitulū, lupi fame ex-

timulati

Digitized by Google

ſimulati inſonorum pręcipitũm malo deiȷciunt animo, matris lacte ſubſcaturientibus huberibus abreptũ, hæc tum huc atq; illuc diſcurrit, magnum ob charum filium ploratum ædens, quam à tergo & aliud urget malum, nẽpe cũ ipſam quoq; leones abripiant, ſic illam aliunde ſatis ob filiũ dolentem, hoſtes ſimul cũ alia præda abegerunt, præſtantis Acetionis filiam, miſeris clamoribus omnia miſcẽtem, nam & filium & maritum & parentem ſibi ob oculos ponens, mori decreuit, quoniã regio loco natis hominibus, ſatius eſt in bello animã profundere, quàm deterioribus in ſeruitutẽ tradi. Proinde plorabili uoce ita uociferabatur magno animi dolore exhulcerata, Agedum Græci iam meum corpus uel ex ædita turri, aut è rupe aut in ignẽ præcipitate, nam infinita me circumuallant mala: etenim meum patrẽ præſtantem uirum Thebis lœtho dedit Achilles, ac apud Troiam præclarum maritum, qui mihi omnia quęcunq; animo complecti potuiſſem præſtabat, & mihi liquit paruum admodum in ædibus filiũ, quo mihi mirum in modum placebam, ac magnam mihi de illo ſpem concipienti malum ac intolerandum abripuit fatũ, quare me in immenſum

luctum coniectam miſera hac uita priuate, repente, nec in ueſtras ædes abducite ſimul cum alijs mancipijs, quoniam non amplius fert animus inter mortales agere, quia deus, qui mei curam gererent, exitio dedit, dolor autem maximus me occupauit, Troianis omnibus ſummis cum animi cruciatibus deſtitutam. Sic dixit magno mortis deſiderio exæſtuans, Eſt enim illis indecorum diutius uitã trahere, quorum ingentem ſplendorem obnubilauit probrũ: nam acerbum eſt alijs eſſe deſpicatui, ſed illam reluctantem in ſeruitutem abtraxerunt. Porro alij alijs in ædibus animas poſuerunt, inter quos luctuoſus ſublatus eſt clamor, ſed non in ædibus Antenoris, quia Græci in memoriam adducti ſunt grati hoſpitij, quo accepit antea in urbe, & ſeruauit Menelaũ cũ Vlyſſe urbem ingreſſum, æquam igitur reponentes uicem. Græci illum cum ſuis poſſeſſiobus ſeruarunt incolumem, reueriti & amicum uirum Themida, cuius oculis nihil nõ peruium, tum egregius præſtantis Anchiſæ filius multis per urbem laboribus & periculis iactatus & multis ſua haſta & formidine extinctis, ut uidit hoſtium manibus ortum incendium, latiſſime per urbem diffundi, &

populum

populum internitione cædi, ac Troicam ga zam ſimul cum opibus,cum uxoribus & li beris,ædibus extrahi,plane de ſpe ſeruandę patriæ deiectus, animo agitauit magno ſe exitio ſubducere, ut quando in alto uir quiſ piam docta manu gubernaculum tenet na- uis, & uentus & rapidi undarum uortices undique cõtorti, in uaſtabunda tempeſtate manum eius, & animum laſſitudine confi- ciunt,ille igitur nauigio,undis deprimenti- bus,pereũte, in paruam ſe ſcapham cõijcit, deſerto clauo, nec ulla tangitur cura merciũ quas uehat nauis: ſic quoq; Aeneas deſerta urbe,quam hoſtilis hauſerat ignis,filium & patrem abreptos exitio ſubtrahere niteba- tur: hunc quidẽ miſera ſenectute cõfectum, manibus in humeros ſublatum,at illũ altera miſere terrã perſtringentẽ nec formidantẽ belli labores triſti eduxit prę lio,at neceſſita te coactus tenellus filius patris ueſtigia preſ ſit lachrymis per genas uolutis, & multa ue locibus pedibus cadauera perſilijt,ſępe'q; in tenebris, quamuis inuitus iter fecit:nam Ve nus itineris dux fuit & filium & nepotem & uirum graui calamitate aſſerens lubens,nam properantis pedibus quacunq; flammæ lo- cum dederũt, at omnis feruidi ignis uapor

ſe fidit, & haſtæ & tela irrita in terrã difflue bant quęcunque Græci triſti hoc bello in il lum contorquerent, tum uero Calchas ma gno ſublato clamore populũ inhibuit, Ceſ ſate Græci, inquiens, tela & exitiales haſtas uibrare in fortis Aeneæ caput, nam in fatis eſt illum à Xantho profectum ad Tyberim latifluum, ſacram urbem cõditurum uniuer ſę poſteritati admirandam, deinde ipſum di uerſas hominum nationes obtenturum im- perio, hinc quoque genus in poſterum duci quod ab oriente in occidentem protendet ſuam ditionẽ, nec illicitũ eſt, ut ipſe in deo- rum numerũ referatur, utpote Venere pro- gnatus & maxime etiam ab hoc uiro abſti neamus manus, quia auro & aliјs poſſeſſio- nibus fugientem ſeruaret uirum etiam in pe regrinam terrã, quæ omnia poſthabuit ſuo patri & filio, nam nox hæc declarat illum eſ ſe admiranda in patrem pietate & inculpan dum filio patrem. Sic dicenti morem geſſe- runt omnes, & ut deum ſuſpexerunt, ille au tem rapido ſe curſu urbe extulit, quo eum anhelantẽ pedes ferebant, nec amplius Grę ci Troiã deuaſtarunt, & tum Menelaus Dei phobum neci dedit ſomno oppreſſum, de- prehendens miſtum in Helenæ thoro, illa

autem

Digitized by Google

autem in fugam uerſa ædibus ſe occultauit, at hic fuſo ſanguine gauiſus eſt ob cædem, ac talia inſuper addidit, Heus canis iam tibi hodie triſte attuli exitium, nec te uiuum inter Troianos deprehendet aurora, etſi altitonantis Iouis te generum eſſe iactes, ſed noſtris proſtratum manibus grauis te inuaſit pernicies noſtrę coniugis cauſa, utinã antea quoque Alexandro prælio nobiſcũ congreſſo, uitã adimere licuiſſet, id certe multo mitiorem redderet noſtrum cruciatum, ſed hic quidẽ debito mulctatus ſupplicio, horrendas ſubijt tenebras, ac tibi nihil profutura erat noſtra cõiunx, quia ſcelerati uiri nunq̃ effugere poſſunt Nemeſim incorruptã ſcelerũ ultricẽ, quia defixis illos ſemper intuetur luminibus, ſiquidẽ aëre amicta quacũq; circumuolat humanũ genus, Iouis auxilio obarmata ſupplicioq́ꝫ afficiens malorum operum ſibi conſcios. Sic dicens hoſtibus triſte attulit exitium, nam animi zelotypia exæſtuans in pectore furebat multa Troianis mala cogitans, quæ ueneranda dea iuſticia ad exitũ perduxit, nam illi malorum operũ prima iecerũt ſeminaria in Helena, & primi quoq; fœdera ruperunt ſcelerati, cũ mentis pręuaricatione, nullam habuerint rationem

Digitized by Google

ſanguinis & diuinorum ſacrificiorum, quare illis in poſterum quoq; Furiæ exitiũ ſtruxerunt, proinde hi quidem pro mœnibus occubuerunt, alij uero per urbem apud formoſas uxores conuiuijs ſe exhilarantes. Porro tandem Menelaus in intimis ædium receſſibus depræhendit ſuam uxorem, quo ſe prioris mariti minas exhorrẽs abdiderat, qui illã intuitus ſtatim induxit in animũ interficere, zelotypia mentem inſtigante, niſi grata Venus eius uiolentiã retraxiſſet, quæ eius manibus ferrum excuſſit, & impetum reſtrinxit, nam atra iracundiæ nebula profligata, ſuaui illius pectus & oculos, deſiderio perſtrinxit, quare præter ſpem admiratione perculſus erat, non potuit enim inuſitatam illam pulchritudinem intuitus ferrum iugulo admouere, ſed ſtetit ut aridum in nemoroſis mõtibus lignum, quod nec Boreæ nec Noti procellæ per aëra ruentes concutiunt, ſic ille perinde ac ſepultus diu manſit, nam intuitus uxorem uiribus infringebatur, ſubito igitur ex animo eius deleta ſunt omnia, quę illa in primum thorũ deliquiſſet, demoliebatur autẽ facile omnia dea Cypria, quæ omnium cum hominum tum deorum mentes ſibi ſubigit, attamen quamuis hunc in il-

lam

lam affectum induiſſet, ferro iterum humo ſublato in uxorē ferebâtur, ſed alia illi ruenti animus uerſabat, uerum dolo Gręcos demulſit, & tum eum frater cohibuit, nō præter animi eius ſententiam ſuauibus dehortans uerbis, ueritus enim erat, ne omnia illi in irritum cecidiſſent, Menelae, inquiēs, modum facito iracundiæ, abſurdum enim eſſet primam uxorem perimere, cuius cauſa multos adiuimus labores Priamo mala meditantes, non enim in Helenam culpa cōferenda, ut tu quidem exiſtimas, ſed in illum qui & hoſpitalem Iouē, & tuam menſam deſpicatui habuit, quare deo multis doloribus pœnas dedit. Vt dixit ille ſtatim ſe morigerum præbuit, dij autem atris circumamicti nubibus, Troiā deflebant, extra formoſam Mineruam & Iunonem quæ magnas ſpirabant glorias, ubi uiderunt præclarum Priami oppidum ſolo ęquatum, quamuis ne Minerua quidem ab omni luctu immunis fuerit, quia in ſuo tēplo Caſſandræ Olei Aiax mente captus uitiū obtulerat, quare illum in poſterū graui malo & ſupplicio affecit, nec tamē opus illud nefandum oculis obire potuit, ſed ira ſimul & pudore ſuffundebatur, & truculentos auertit oculos ad templi laquearia

quearia

Digitized by Google

quæaria & circumquaq; ſtrepitũ ędebat diui num ſimulachrum, & templi ſolum concutiebatur, non tamen ille ab horrido hoc ſcelere ceſſare potuit, quia mẽtis oculos excluſit Venus. Cæterum nulla non oppidi parte aliunde alia lababãt tecta, & immenſa uis pulueris fumo miſcebatur, maximusq́; reſultabat ſtrepitus, nam ignis diffundebatur per omnia aduerſarij tecta & arcem quoq; circa Pargamum hauriebat incendiũ, deinde & circa templum Apollinis & delubrum Palladis magna religione horrendum, præterea etiam ad Mercurij aram, deinde etiã & delectabiles nepotũ Priami thalami incendio conflagrabant, tota deniq; urbs ab imo uertebatur. Porro horum qui ex Troianis à Gręcis lœtho dati ſunt, alios hauſit incẽdiũ in proprijs ędibus, ubi ſimul & mala morte multati & ſepulchrũ ſortiti ſunt, alij per proprium iugulum acto ferro ſibi necem cõſciuerunt, ut hoſtilem ignẽ in ueſtibulis graſſari uidiſſent, alij iterũ uxore cum filijs inter fecta proſtrati ſunt, neceſſitate cõpulſi indignum opus exequi, & alius exiſtimans ſe procul abeſſe hoſtibus, ſtatim arrepta urna conabatur incendiũ reſtinguere, hunc pręoccupãs Gręcorum quiſpiam haſta deiecit,

Digitized by Google

& crapula grauatum exitio dedit, ac intra te
cta collapſus uacua defluxit urna, alius iterũ
per domũ fugiens, incidit in ardentia ligna,
quæ mediam ædium partem ſuffulciebant,
& triſti fato collapſus eſt, multæ iterũ fœmi
næ in triſtem fugam effuſæ, in memoriam
adductæ ſunt filiorũ, quos in lectis deſerue
runt, proinde celeri reuerſæ gradu, ſimul cũ
filijs interierunt, ædibus quippe ruina con-
uulſis, deinde equi & canes conſternati per
urbem ferebantur, & incendio ſe ſubducere
conniſi, pedibus per cæſorum cadauera ra-
piebãtur, & in uiuorum perniciem perrum
pebant, clamor autem tota urbe perſtrepe-
bat, quodam iuuene per flammam dum rue
ret uociferante, nam qui intus eſſent crudeli
fato abſumebantur, alius autẽ alia uia ad in-
teritum ferebatur. Porro flammarum globi
ad æthera ſubuoluebantur, & immenſus di
ſpargebatur ſplendor, circumquaque cerne
bant accolæ uſq; ad altos Idei montis uerti
ces, & uſque ad Thraciam Samum, & littus
Tenedi, & aliquis iuuenum, qui tum per ma
ris gurgites nauigio ferretur, tali uſus eſt o-
ratione. Græci laboris patientes finem fece
runt magno operi, qui ingentes ob formo-
ſam Helenam labores exantlarunt. Proinde
Troia

Digitized by Google

Troia tanta antea fœlicitate florēs igni con crematur, nec quiſquam deorū cupientibus opem ferre uelit: fatum igitur intolerādum omnia mortalium opera oculis colluſtrat, & res inglorias & altis natiuitatis tenebris preſſas in ſublime educit, tū uerſa uice ſublimia deprimit, & ſæpe bonū in malum commutat, & malum in bonum, cum quippe miſera mortalium uita uiciſſitudine quadā ſemper fluctuet: ſic dixit mortaliū aliquis procul immēſum cernēs fulgorē. At Troianos luctuoſa circumuallauit calamitas, Græci autem per urbem ruebant, nō ſecus, ac magni uentorū turbines immenſum mouentes mare cōuoluunt, ubi contra è regione furens, tempeſtuoſæ arcturi ſignū per æthereū ambitum exoritur ad procelloſum Notū ſe uertens, hoc certe multæ naues in fundum actę deuaſtantur, in mari ſæuiētibus quippe uentis, quibus ſimiles Gręci deuaſtabant altum Ilium, quod magna ui ignis abſumebatur, non ſecus, ac mons hirſutis ueſtitus ſyluis conflagrat incendio uentis commoto, longi autem circumſtrepunt colles, quo certe fit, ut afflictiſſima cōditione ſint omnia ob Vulcani uim, quæcunq; per ſyluam uerſantur, ſic Troiani cędebantur per urbem, nec quiſ

quam

Digitized by Google

quam cœlitum illos hac calamitate aſſerebat, nam Parcæ ſęuo agmine obtinebant omnia, quas nemo mortalium ſubterfugere poteſt, tũ Demophoonti & bellicoſo Acamanti per urbem obuiam facta fuit magni Theſei mater ingenti deſiderio ęſtuãs, deorum autem aliquis ſe illi ducem præbuit, ut iſtis obuiam prodiret, nam obetrabat ferro & igni ſe conata ſubſtrahere. Porro iſtis uidentibus per ignis fulgorem fœminæ corpus inuſitata quadã proceritate, incidit ſtatim ſuſpicio, illam diui Priami uxorem eſſe: proinde ſtatim alacres manus iniecerunt cupientes illam ad Græcos ſubſtrahere. Tum illa, graui ducto gemitu, tali eos oratione adoritur, Ne me præclari Gręcorum filij, ut hoſtem abſtractam ad ueſtras naues abducatis: non enim me è Troianis genus ducere glorior, ſed ſum de præclaro Græcorum ſanguine, quia Pitheus apud Trezonios mihi generis author, & connubio me ſibi iunxit Aegeus: ex me autem natus eſt illuſtris filius Theſeus, ſed per magnum Iouẽ & per charos ueſtros parentes, ſi præſtantis Theſei filij in hac Græcorum expeditione ſint, me ijs id cupientibus exhibete, quos puto uobis eſſe coęuos, nam mihi cor à mœrore

Digitized by Google

alleuabitur, ſi illos ambos detur uidere inco lumes ac eximios. Sic finē dicendi fecit, his uero audiētibus ſui parentis memoria refricabatur, nēpe quantos adijt labores ob Helenam, & quod antea deuaſtarint Aphidrias altitonantis Iouis filij, quando ipſos paruulos, nutrices à prælio occultarunt, ſimul me mores reddebantur pręclaræ Aethres, nempe quanta illa quoque laborauerit ſeruili neceſſitate compulſa utrinq; & ſocrus & ancilla duræ Helenę. His omnibus igitur in memoriam ſuggeſtis, tanto gaudio afficiebantur, ut præ ſtupore uox includeretur. Tandem autem Demophoon eam alloquitur. Tibi quidem dij animi deſideriū explebunt ſtatim, quia uidiſti nos præſtantis tui filij filios, qui te amicis ſublatam manibus ad naues feremus, & ad ſacrum Gręciæ ſolum, lubenter deducemus, ubi antea imperiū obtinuiſti. Sic loquutum amplexabatur auia, & circumiectis manibus latos exoſculabatur humeros, & caput & mentū barba obſitum: ſic quoq; & Acamantem exoſculabatur, illis uero plorantibus lachrymæ per genas uoluebantur, ut cum rumor diſſeminauerit aliquem in peregrina terra mortem obijſſe, & filij eius in poſterū domum reuerſum uideant,

deant, ijs præ gaudio tũ exiliunt lachrymæ, ille cõtra, filijs in humeros aſſumptis, in ædibus plorat, circumquaq; autem domus ſuaui quodam ploratų reſonat: ſic illis quiritantibus magnus diſcurrit ploratus. Et tũ Laodicem opulenti Priami filiam aſſerunt, cœlo manus expandiſſe, precantem immortales deos, ut ſibi terra dehiſceret, antequàm ſeruili operi manus admoliretur, tum ſtatim deorum quiſpiam exaudijt, & terrã ſub pedibus diffidit, quæ diuino monitu complectebatur puellam caua uoragine, poſt exciſum Ilium: cuius cauſa & ſe ipſam, aiunt, formoſam electram caligine & nubibus obduxiſſe, mœrore afficientem, & aliarum Pleiadum, ſuarum nempe ſororum Chorum; uerum iſtæ ut lumen adferant miſeris mortalibus gregatim in cœlo oriuntur, hęc uero ſola & occulta & incognita manet, quia præſtantis ſui filij Dardani ſacrum corruit oppidum, nec ipſe ſummus Iupiter illi ab æthere cõmodare potuit, quia fatis locũ dat etiam magni Iouis potẽtia, ſed iſtud præſtãs deorum mens ſtatim confectum reddidit, alioqui Græci adhuc exulceratis animis in Troianos ſæuijſſent.

Digitized by Google

IN DECIMVMQVARtium librum argumentum.

GRæci diruta Troia prędam omnem ad caſtra cogunt, ubi magna ob uictoriam lætitia delibuti, conuiuia agitant, ac carminibus ſuos duces celebrant, & pręcipue Sinonem, qui ſe tam fœde mutilari paſſus erat, pro ſuorum incolumitate, ſed tandem in ſomnum inciderunt. Cęterum Helena in thalamo, mariti pacem facile in leges conficit ſuas. Deinde Achillis umbra, Neoptolemo per quietem uiſa, popoſcit ad ſuũ tumulum mactari Polixenam Priami filiam, quod *niſi faciant*, minatur ſe tantis tempeſtatibus mare commoturum ut Græcis in patriam reditus intercludatur, uerum habuit in hac re Græcos ſibi admodum faciles. Quare Hecuba, nimio dolore exagitata in canem mutatur. At ſopitis maris procellis, Græci naues cõſcendũt, Quod cum uidiſſet Minerua ob oculos ſibi ponit flagitium, quod in templo ſuo patraſſet Aiax, Ergo Iouem precatur, ut ſibi liceat de nefarijs hominibus ſuppliciũ ſumere. Quare Ioue annuente, fulmine ſe obarmat, ac totum mare concutit turbinibus, tum nauium, hæ quidem in ſaxa torquentur, hæ uero in ſyrtes urgentur, aliæ iterum uadis illiduntur, & deniq; miſerabilis erat rerum facies. Cæterum Aiax diu fruſtra conatus enatare, tandẽ attritis unguibus in undis expirat.

Quinti

QVINTI CALABRI DERELICTORUM ab Homero, liber decimus quartus.

ET tum Oceano pulchra aurora in cœlum proruit, & chaos noctẽ ſuſcepit, Græci uero incenſa agunt, feruntq; Pergama, & ſimiles torrentibus, hybernis imbribus, auctis, qui orta pluuia montibus præcipitati, cum ſtrepitu, multas arbores & alia quæ in mõtibus naſcuntur cum ipſis rupiũ uerticibus, in mare abripiũt, ſic Gręci igni, uaſtata Troia, omnes poſſeſſiones ad naues cogebant, cũ ipſis Troianorum mulieribus, quas aliunde alias abduxerunt, has quidem adhuc intactas ac nuptiarum expertes, has uero iuuenili amore iam pridem thori legibus aſtrictas, alias iterum ueneranda canicie obſitas, tum alias illis ætate inferiores, quarum filios huberibus auulſerũt, ultimum manibus lac abſtergentes, quibus medijs & ipſe Menelaus ſuã incenſa ab urbe uxorẽ abduxit, & ut magnũ

exequutus opus gaudio ſimul & pudore di
ſtringebatur. Porro Caſſandrã abduxit for
tis Agamennon, Andromachen autem Pyr
rhus, at Vlyſſes Hecubã ui traxit, cui denſæ
oculis lachrymæ, ſcaturiginis in morẽ, ebul
liebant, membra autem tremore concutie-
bãtur, & mens uagabatur metu, laniabat au
tem canã capitis comã, ac multus circumuo
labat cinis, quẽ è foco copioſe manibus inſu
derat, extincto Priamo, & urbe incẽdio con
flagrante, magnoq; gemitu deplorauit, ſe è
tanto rerũ faſtigio ad ſeruilem cõditionem
deiectam. Porro alius aliam Troianorum ui
abſtractam, ad naues duxit plorantem, nam
omnes cõtinuo in ploratu perſiſtentes, re-
ſonabant aliunde aliæ miſeris modis ſimul
cum infantibus commotæ, ut quando ſues
ſimul cum nefrentibus à primo ſtabulo ad
aliud transferunt paſtores, mota hyeme, mi
xtim triſti grunnitu reſonant continuo, ſic
Troianæ in Græcorum poteſtatem redactę
plorabant, nam æquali neceſſitate deuincta
erat & regina & famula, uerum Helena nul
lum ciebat ploratum, ſed pudor nigris inſe
dit oculis, qui deſuper rubore pulchras ſuf-
fudit genas, uaria autem animo uerſabat, ſe
ne, ubi ad naues deducta eſſet, flagris dilani
arent

arent Græci, quare, terrore iniecto, animo concutiebatur, & capite peplo inuoluto uiri ſui ueſtigia preſſit, rubore tingens genas, perinde ac Venus ubi illam cœlites omnes propalam deprehenderunt in Martis ulnis, ſuo thoro adulterij notam imprimere, denſis induſtrij Vulcani uinculis irretitam, quibus iacebat animo ſe diſcrucians, & reuerita immortaliũ genus turmatim eo confluens, & ipſum quoque Vulcanum, ſiquidem acerbum eſt fœminis, ſuum probrũ mariti oculis patere, hanc corporis forma & integro pudore exprimens Helena, cũ Troianis captiuis ad Græcorum naues contendit: populus autem circumfuſus admiratione concutiebatur, intuitus nulla parte culpandum mulieris ſplẽdorem, & formam amabilem, nec quiſquam paſſus eſt illã aut occulto aut manifeſto impetu lædi, ſed ut deam ſuſpiciebant lubentes, ſiquidem nemo erat, quin illam intueretur oculis minime dolentibus. Porro ut cũ longo errore per mare circũactis patria multo poſt tẽpore apparet, tum hi Ponti ſæuitiem & mortem ſubterfugientes immenſo perfuſi gaudio, patriæ manus porrigunt. Sic Græci omnes gaudium & lætitiam agitarunt, nec amplius duri laboris

Digitized by Google

aut pugnę memoria hærebat animo, talem omnibus mentem indidit Venus, & formoſæ Helenæ & patri Ioui gratificata. Tũ Xanthus cruentam adhuc ſpirans pugnã ut intellexit amicum oppidum incẽdio datum, plorabat cum nymphis ob malũ, quod Troiæ incidit, & Priami urbem deuaſtauit, ut quando grando in maturas ſegetes ingruens, minutim eas diſſecet, ac magno impetu ſpicas omnes excutiat, & inanis humi calamus fundatur, fructu quippe miſeris modis ad nihilum redacto, magnus tum ac pernicioſus luctus domino iniicitur: talis certe luctus occupauit animũ Xanthi uaſtato Ilio, & perpetua hac miſeria deprimebatur, licet eſſet immortalis, ac longa Ida ingemuit, & Simois ac Idei montis accolę Priami oppidum deplorantes, Græci autem in cachinnum ſoluti, ſe ad naues receperunt, illuſtrem cantu uictoriam celebrantes, nunc iterum diuinum immortalium genus, & etiam audentẽ ſuorum animũ, & incorrumpendũ Epei opus, & cantus per æthera cœlo ferebatur, *non ſecus*, ac infinitus turdorum clangor, ubi poſt exitialem tempeſtatem ſerenitas cœlo eniteſcere incipit, ac æther nullo uentorũ turbine exagitatur: ſic illis apud naues animus

gaudio

gaudio diffundebatur, dij autē per cœlū ob lectabantur, quicunq; ex animo pro Gręcis ſteterunt, alij iterum dolenter ferebant, quicunq; Troianis ſubſidio fuiſſent, cernentes Priami urbem igni & ferro uaſtatam, ſed re luctantibus fatis imminens exitium depellere non potuerunt quāuis cupiuerint, non enim ipſe Iupiter, qui omnes deos ſupereminet genere, nam ex eo omnia trahunt originem, facile poſſet malum propulſare præter Parcarum ſententiam. Cæterum Græci multa boum fœmora lignis ſuperpoſita cremabant, & denſi altaribus circumfuſi ardentibus hoſtijs ſuaue inſtillabant uinum, dijs gratificantes, quia magnum exequuti erant opus, præterea multis ad cœlū laudibus ferebant omnes quoſcunque aluo condidiſſet equus ligneus, & imprimis ſuſpiciebant Sinonem, quia non recuſauit tam male ab hoſtibus multari, quare illum omnes ſemper & cantu & donis infinitis condecorarunt: hic uero magnum animo gaudium cōcipiebat, ob Grecorum uictoriā, haud quaquam proprio ingemiſcens malo: nā prudenti & cordato uiro multo ſatius eſt gloriā ſibi parare, quàm aurum, aut alia quæcunq; bona, quæ mortales in precio habent, aut habitu-

ri ſunt. Proinde apud naues inconcuſſo animi robore præditi inter ſe cõuiuia agitabãt, hæc concinne cõcinentes, Iam longo bello finem impoſuimus, & magnã tulimus gloriam, capta cum hoſtibus urbe, at Iupiter optatum nobis reditum annue. Sic dicendi finẽ fecerunt, ſed non omnibus Iupiter reditum annuit, attamẽ omnibus triſtis belli ſollicitudo exempta erat, & ad concordiam & lætitiam uertebantur. Tum quidam deſiderantibus Græcis canere occipit, quo pacto Aulide omnes conuenerint, aut quomodo Achilles duodecim maritima expeditione urbes ceperit, & undecim, terra exercitum ductans, & quęcunq; patrauit facinora circa regem Telephum & pręſtantẽ Aeetionem: deinde quo pacto Cygnum ſtrauerit uiolentum, aut quæcunque bella geſſiſſent Gręci, interea quod Achilles Græcis iratus pugna abſtinuerit: deinde quo pacto Hectorem circa patriæ muros raptauerit, & quomodo Penthesileam prælio cæciderit, & Memnonem domuerit, & quo pacto fortis Aiax bellicoſum Glaucum interemerit, aut quomodo præclarum uirum Eurypilum trucidauerit Pyrrhus: deinde quo pacto Philoctetę iacula Paridem deiecerint, aut quicunq; frau

dulentum

dulentum ſubierunt equum: præterea quo pacto Troia deuaſtata procul ab omni turba conuiuia agitarunt. Porro alius alio carmine reſonabat quęcunq; animus illi ſuggeſſerat, ſed ubi canentibus media nox præcipitaretur, tum remotis menſis petebant cubile, quod in curarũ obliuionem adducat: nam heſternus labor omnes ad languorem dedit, quare licet per totam noctem conuiuia trahere cuperent, quietẽ capiebant, quia ſomnus etiam nolentes inuadit, alius autem alio cubabat loco: at Menelaus ſuis in caſtris ſermones cedebat cum formoſa uxore, nondum enim eorũ oculis incidit ſomnus, ſed Venus oblectauit in animo, ut in ueteris thori memoriã adducerentur, & procul pelleretur mœſtitia: prior igitur Helena tali oratione compellat ſuum maritũ, Ne mei iracundia ô Menelae in animo ęſtuare pergas, non enim uolens tuam domum & lectum liqui, ſed Alexander & Troiani, te abſente, me ui rapuerunt, & me cupientem miſere uitam abrumpere uel laqueo uel ferro, cohibuerunt in ędibus, uerbis demulcentes, tuę chariſſimæ filiæ cauſa dolentem, per quam tibi nunc ſum ſupplex, & per mellitas haſce nuptias, & per tuum caput, ut hanc ſimultatem

tem

tem ex animo delere uelis. Sic dicēti reſpondet Menelaus, Ne mihi huius rei memoriā refrices, ſed expungamus animo mœrorē, & hæc omnia nigra obliuionis domus in ſuis penetralibus ſeruet: non enim par eſt amplius in malorum operum mentionem uenire. Vt dixit, huius animū occupauit gaudiū, & omnis faceſſebat metus, nam in ſpem erigebatur fore, ut omnē rancorem miſſum faceret maritus ſuus. Proinde illum amplectebatur, & ambobus ſuauiter plorantibus lachrymæ diſtillabāt, ergo his grato mixtis concubitu, prioris coniugij recordatio ſubijt animos, ut quando hedera & uitis ſeſe amplectuntur, per truncum, has nulla uis uenti à ſe mutuo diuellere potuerit: ſic iſti mutuo hærebāt complexu, amoris œſtro accenſi, uerum & hos quoque grata inuaſit quies. tum Achilles ſupra filij ſui caput aſtitit, qualis erat, cū in uiuis agens, Troianis quidem cruciatum, Grecis uero gaudiū attulit, exoſculabatur autem eius collum, & ſplendidos oculos, & talibus eum demulcens uerbis alloquitur, Salue fili, nec animum mœrore dilanies ob meum obitum, quia in deorū numerum relatus ſum, ne tu igitur mei cauſa mentem mœrore conficias, uerum meo ro-

Achilles ſuo filio ſe per quietē offert.

bore

bore pectus obfirma, ac ſemper te inter Græ
cos eximium præbeas, nec cuiquam uirtutē
locum dederis, uerum in foro natu maiori-
bus obſecundato, & tum te omnes pruden
tem dicent, honorem habeto præſtantibus
uiris, quibus mens in pectore firma: ſiquidē
boni uiri familiaritate oblectatur uir bonus,
mali uero malus: at ſi bene ſapias, bona etiā
opera exequaris, nam uir malus nunquam
ad uirtutis metam pertigit, cui nō eſt mens
honeſta, quia uirtutis truncus aſcenſu diffici
lis; longi autem in æthera rami expandun-
tur, qui uero robore præſtant & laſſitudine
à labore nō abſterrentur fructus demetunt
maxime ſuaues, præclarum uirtutis germen
cōſcendentes: proinde eſto uir grauis & ani
mo maturo, nec ob detrimentum animam
mœrore excarnifices, nec quoque nimium
rebus ſecundis attollaris, eſto comis in ami
cos, filios, & uxorē, ſemper ob mentis ocu-
los obuerſetur exitialis fati portas & mor-
tuorū domos nō procul à mortalibꝰ diſtare,
nā mortaliū genus ſimile eſt herbę floribus,
uernis inq̄ floribus, quorū hi quidē pereūt,
hi uero creſcūt, quare miti ſis animo & Græ
cis denūcia, maxime uero Menelao & Aga
mennoni, ſi nōdum animo excidit quantos
adierim

adierim labores, circa Priami oppidum, & quantam ad caſtra prædam egerim, anteq̃ Troiæ mœnibus exercitũ admoueremus, ut mihi impenſiſſime cupiẽti, ex Priami præda formoſam Polyxenam ſtatim mactent, quia illis magis ſuccenſeo, quàm antea, cauſa Briſeidis, commouebo enim maris undas & tempeſtatẽ tempeſtate cumulabo, ut ſua prauitate pereuntes longo hic tempore hæreant, donec mihi libationẽ diffundant, reditus deſiderio accenſi, uerũ ipſam puellam ubi mactarunt ſepulchralibus ceremonijs, ac iuſtis afficere non equidem inuideo. *Sic* fatus diſparuit ſtatim ueloci ſimilis auræ, cãpum Eliſiũ petens, qua ſummo è cœlo deſcenſus ac aſcenſus patet dijs immortalibus, at hic ſomno excuſſus ſui patris recordabatur, & magnum redintegrabat luctũ, uerum ubi pulſis tenebris aurora per cœlum refulgens terram & æthera illuſtrare inciperet. Tum Græcorum filij reditus cupidine feruidi, è lectis proruerunt, & nauigia in altũ eduxiſſent geſtientes, niſi illos properantes inhibuiſſet præſtãs Achillis filius, & in forum cõuocaſſet, ac patris præceptum enarraſſet, inquiens, Audite chari Græcorum filij illuſtris mei patris præceptum, quod mihi heſterna

ſterna nocte per quietem in lecto iniunxit: nam dixit ſe in deorum cœtum adoptatum eſſe, iuſſit autem uobis & regi Menelao, ut ſe ex belli præda egregio donetis præmio, nempe ut ad ſuum ſepulchrũ formoſam Polyxenã mactetis, tum eidem ipſi facto ſacrificio iuſta facietis; ſi uero eo neglecto maritimũ capeſcatis iter, minabatur mari aduerſis fluctibus exagitato, populum cum nauibus multo hic tẽpore detenturũ eſſe. Quæ ut dixiſſet, morem gerebãt, & tanquam deo illi uota faciebãt, ſiquidem è fundo, turbine extollebantur fluctus, & latiores & crebriores ſolito, cum quippe uẽtus furibundo mari incubuerit, proinde magna, Neptuni manibus, tempeſtas mouebatur, idq; in gratiam fortis Achillis, omnes enim uentorum turbines in mare irruebant: Græci igitur ardentes Achilli præces fundentes, omnes ſimul tales inter ſe ſermones miſcebãt, Haud falſo Achilles ad Iouem ſuũ retulit genus, quare nunc deus eſt, etſi antea inter nos uerſatus ſit: nõ poteſt enim infinita temporum ſeries, deorum genus demoliri. Sic fati circa Achillis tumulum ſedulo officio diſtringebantur, illam autẽ adduxerunt, ut paſtores iuuencam in denſis uirgultis matri à bubul
cis

Digitized by Google

cis abreptam in hoſtiam, hæc uero magno reboãs mugitu animi cruciatu cõficitur plorans: ſic tum Priami filia, circumquaq; omnia ululatu miſcebat inter hoſtium *manus* diffluentibus hubertim lachrymis, ut quando oliuæ fructui nondum hybernis irrorationibus nigrore ducto fœda tẽpeſtate magna uis olei excutitur, tum circumſtrident longa uela funibus à iuuenibus intenſa: ſic ærumnoſi Priami filiæ ad duri Achillis tumulum tractæ, cum gemitu miſerè per genas diffluebant lachrymæ, & illi gremium implerunt, & cutis ebori uerè ſimilis rigabatur, ac tũ aliud peius miſeræ Hecubæ inuaſit animum, quod priorem cumularet luctum: nam illi ob oculos poſuit miſerum & triſte inſomnium, quod per quietem ſuperiori nocte oblatum erat, certe exiſtimabat ſe ad Achillis tumulum ſtare plorantem, & comæ ad ſolum uſq; à capite diffluebant, & utriſq; huberibus purpureus dimanauit ſanguis, quo tumulus inundaretur, quare magna impleta formidine magnumq; *præſagiens* malum miſere ululauit, longas in fletum ducens uoces, non ſecus, atq; canis in ueſtibulo ululans longum latratum emittit, lactis copia diſtentis mammis, nempe cum

eius

ius catulos antequàm lucem intuerentur, ominus pabulũ alitibus obiecerit, hæc au m nunc quidem latratu, nunc iterum plo itu, nunc uero rugitu, animi cruciatũ pro- iit, triſtis autẽ clamor cœlo fertur: ſic He- uba plorans admodum uociferabatur ob liam, Me miſeram, quid uel primũ uel no iſſimum querar animi uulnere conſciſſa, ac ıultis referta malis, filios ne, ac maritũ gra ia ac improuiſa paſſos? an urbẽ ac filias mi eras & afflicta conditione futuras, an me pſam ad ſeruilem neceſſitatẽ deiectã? quia ata horrenda multis me confixerunt malis, nea filia, tibi grauia & nunquàm metuenda nala agglomerarunt, nuptias iam inſtantes mouerunt, & intolerandum attulerunt exi ium, acerbũ, quale nemo uerbis poſſet ex- ›rimere, Achillem ne etiam mortuũ noſtri ınguinis ſiti incenſum furere. Vtinam me, hara filia, tecũ illo die terra dehiſcens ope- uiſſet antequàm tuam necem oculis obire ogerer. Sic dicenti indeſinentes per genas ıchrymæ uoluebantur, & triſtis luctui lu- tus ſucceſſit. Porro Græci cũ ueniſſent ad liui Achillis tumulum, tum eius filius ſtri- to ferro leuam quidem puellæ iniecit, de- ttra uero tumulum tangens, talem orſus eſt

Polyxena à Pyrrho truncatur ad Achillis tumulum.

Digitized by Google

orationem, Audi pater tuum filium precantem, & alios quoq; Grȩcos, nec nobis amplius acerbe ſuccēſeas, quia iam omnia exequuti ſumus, quæ in animo cupias. Proinde nobis eſto propitius, ſubito ſternēs precantibus deſiderabilem ad patriam uiam. Sic dicens per candidam puellæ ceruicem, exitialem egit enſem, illa autem ſtatim fato cōceſſit, miſeros in extrema uita ploratus ȩdens. Porro huic pronæ collapſæ ceruix prorſus rubeſcebat, non ſecus, ac nix in montibus, aut apri aut urſi iaculo uulnerati, cruore mixta, ſtatim purpurea obducitur ſuperficie: deinde Græci illam repente in urbem auferendam dederunt ad Antenoris ædes, quia illam hic antea inter Troianos ſuo filio Eurymacho uxorem in ȩdibus aluit, qui poſtq̃ iuſta feciſſet illuſtri Priami filiæ, iuxta ſuas ȩdes, nō procul à templo Ganymedis è regione Mineruæ, tum ſubſedit fluctus & horridi ſopiebantur turbines, & oboriebatur tranquillitas. Proinde Græci animo gauiſi ſe ſubito ad naues corripiebant, *cantu celebrantes* deorum genus, aut Achillem, tum ſtatim epulum parabant ſectis boum fœmoribus, gratum omnino dijs ſacrificium erat: alij uero argenteis & aureis poculis uinum

exhau-

Digitized by Google

exhauriebant, animus autem gaudio diffundebatur, ut quos ſpes haberet futurum, ut in patriam eſſent reduces, at poſtq̃ exempta fames epulis menſæq́; remotę. Tũ Neſtor tali oratione Gręcos demulſit, Audite me amici, qui longas belli minas fugeritis, ut gratã cupiẽtibus orationem depromã, Iam in patriã redeundi tẽpus appetit, eamus igitur, nã bilis Achilli in nos mota iam deferbuit & Neptunus tranquillitatẽ mari induxit, blandi iã ſpirãt uenti, nec amplius undarũ cõtorquentur uortices. Proinde nauibus in mare attractis reditus ſimus memores. Sic dixit, deſiderio ęſtuans: hi uero nauigationẽ adornabãt, ubi prodigiũ apparuit mortalibus admirandũ, quia Priami uxor, humana poſita forma, in canẽ eſt uerſa, & populus circũquaq; excitus, admiratione perculſus eſt, huius aũt omnia mẽbra ſaxea reddidit deus, magnum uniuerſę poſteritati miraculũ, & hanc quidẽ Calchantis monitu, Græci naui ultra Helleſpontũ uexerunt, ſtatim attractis in altũ nauib⁹ ijſq; oĩbus impoſitisquę deprędati erãt ex quo cũ infeſto exercitu ad Iliũ uenerũt, deuaſtatis circumquaq; finitimis, aut quę ex Troiæ direptione coẽgerant, unde mirum quantam acceperint uoluptatem, quia tanta

Hecuba in canem uertitur.

Digitized by Google

erant, ut haud facile numerus iniri poſſet, ijs quoq; iungebantur multæ captiuæ, magno animi cruciatu affectæ. Tum Græci naues conſcendebant, uerum Calchas illis properantibus noluit uenire comes, quin & alios Græcos detinuit, metuit enim graue circa Capheria ſaxa Gręcis imminens exitium: at iſti recuſarunt illi dicto audientes eſſe, ſiquidem malum fatum eorum mentem fraude circumuenit, at ſolus Amphilochus uaticinandæ artis non ignarus, nempe præſtantis Amphareí filius manſit cum prudenti Calchante, nam horum fata ferebant, ut procul à natali ſolo in Cilycia Pamphiliæ ſedes figerent, ſed hęc in poſterum ordinarunt dij, uerum Græci oram ſoluerunt, & anchoras ſtudioſe attraxerunt: Helleſpontus autē reſonuit ijs ruentibus, naues uero alluebantur maris undis. Porro multa peremptorum arma in proris repoſita erant, ſupernè autem infinita uictoriæ ſigna propendebant, & naues ornabant, nēpe capita, haſtæ, ſcuta, quibus contra hoſtes prælium initur, & reges è prora uinum in mare diſtillabant, precati deos immortales, ut inoffenſum ſortiri reditum daretur, precati & uentos, tangebant è nauibus nubes, & aëre ferebātur. Cæterum

captiuę

captiuæ reſpectabant ad Ilium, magno animi uulnere affectæ, & multa quærentes plorabant, clam Græcis magnũ animo luctum prementes, & hæ quidem genua manibus amplexebantur, hæ uero frontem ulnis uinciebant, aliæ iterum haudquaquam ob ſeruitutem ducebant ſuſpiria, nec ob patriæ cladem, ſed in mamma habebant animũ: nam tenellũ pectus à curis prorſus immune fuerat: deinde omnibus ſolutę comæ, & triſtia pectora unguibus dilaniabantur, & in genis rigeſcebant lachrymæ, aliæ iterum crebro palpebris diſtillabant: uidebant enim miſeram patriam incendio prorſus conflagrare, ac magnum ſuboriri fumum. Cæterum cunctæ ad Caſſandram, defixo intuitu, in admirationem adducebãtur, triſtis uaticinij memores: hæc uero, illas plorantes, ſubſannauit, etſi magno affecta dolore ob patriæ calamitatem, quicunq; autem ex Troianis fuga ſuæ ſaluti conſuluiſſent, in urbem coëuntes, ſepeliendis ſuorum cadaueribus occupati fuerũt, ad quod triſte opus aſciuerunt Antenorem, ipſi uero pyram erexerunt, Græci autẽ immenſo diffuſi gaudio, nunc quidem remis ſulcabant undas cæruleas, nunc iterũ panſis uelis curſum tenebant, ſtatim à ter-

go tota linquebatur Dardania, & Achillis tumulus, hi autem, licet gaudio exultarent, tamen in peremptorum amicorum memoriam adducti, acerbo ac reſciſſo animi uulnere afficiebantur, & ad peregrinam terram inuehebantur, quæ procul nauibus abeſſe uidebatur, & Tenedi littora legebant. Tum Chryſam pręteruehebãt & Apollinis Sminthei ſolum & diuæ Cillæ, tum uentoſa apparuit Lesbus, & ſummum lecti promontorij cacumen inflectebatur, tum ſummus Idæ montis uertex, uela autem aëra ſecantia reſonuerunt, & aqua proris illiſa fremitum ædebat, caligine inuoluebantur longi fluctus, & albeſcebant maris uiæ. Porro omnes Græci inoffenſo curſu per mare in Græciam ueniſſent, niſi Minerua altitonantis Iouis filia, eis infenſa fuiſſet: nam cum non procul ab Euboia abeſſent, tum regi graue & acerbũ meditata exitium, & intolerãda percita iracundia, apud Iouem deorum regem, aſtans talem habuit orationem, ſeorſum ab alijs immortalibus, quia iram animo compeſcere non ualebat, Iupiter pater non amplius tolleranda dijs machinantur uiri, nec tui nec aliorum deorum reſpectum habentes, quia nullo amplius ſupplicio afficiuntur ſcelerati homines

mines

mines:nam uir bonus afflictiori ſæpe condi tione uiuit, ꝗ malus, indeſinentibus enim colliditur ærumnis,quare nullus iuſtitiæ locus,& omnis mortalibus pudor euanuit,ego uero non amplius in olympo uerſabor, nec tua uocabor,niſi de Gręcorum prauitate ſupplicium ſumere detur, quia magnum in me delictum admiſit Oilei filius,nec miſertus eſt Caſſandrę innoxias mihi ſępe manus expandentis,nec meum metuit genus, nec immortalem deam animo reueritus eſt, ſed intolerandum patrauit facinus, proinde faceſcat omnis inuidia,ſi faciam quod meus fert animus,ut & alij iuuenes formidare diſcant magnas deorum minas. Sic dicēti reſpondet Iupiter mollibus uerbis, Mea filia, non ego tibi aduerſabor Græcorum cauſa,ſed ſi cupias exhibebo arma omnia, quæ in meam gratiam Cyclopes indefeſſis fabricati ſunt manibus: tu uero forti animo ipſa Græcis tempeſtatem moueas. Sic fatus, & fulgur & exitiale fulmen & luctuoſum tonitru apud intrepidam puellam depoſuit, illi uero magna tentabant gaudia pectus, & ſtatim Egida impetuoſam & fulgentem diſſoluit irrumpēdam,inquam,ac horridam,ipſis dijs mirabilem:inſculptum enim erat terri-

bile Meduſæ caput, ſupernè ualidi erant dracones magnam uim ignis reſpirantes: infremuit autem tota ægis circa reginæ pectus, ut quãdo tonitru miſcetur immenſus æther, & arripuit patris ſui arma, quæ nemo unq̃ deorum, excepto Ioue, in manus ſumere potuit, concuſſit autem magnum olympum & confudit montes, & nubes, & nox omnem premebat terram, & mare tenebris inuoluebatur. Iupiter autem id intuitus magnã animo uoluptatem accepit: mouebatur autem magnus aër deæ pedibus, & æther ſtrepitu circumquaq; reſultauit, nõ ſecus, atq; ſi ipſe omnipotens Iupiter ad prælium latus fuiſſet: tum illa immortalẽ Irida ſuper tenebroſum Pontum cœlo demiſit ad Aeolum, ut uenti omnes procellis inſultantes, ad aſperũ Caphareum ſe reciperent, hinc in Græcos continuo inuecti, mare à ſedibus imis uerterent, triſtibus furentes turbinibus: illa id audiens, ſtatim iter adornauit, nubibus circũplicita, dixeris ignem eſſe aëri aut cæruleæ aquæ mixtum: uenit autem in Aeoliam, ubi uentorum impetuoſe ſpirantium antra ſunt horridis compacta ſaxis, & caua & ſonora: in proximo autem ſunt Aeoli ædes, deprehendit uero eum intus cum uxore, & duodena

dena prole,& illi dixit Mineruã Grę corum reditui inſidias ſtruere,uerũ hic ſtatim obſecundabat,& tectis prodiens, tridentem manibus in mõtem impegit, ubi ſonori & obſtreperi uenti ſtabulabantur, cauo in antro, unde continuus reſultauit clamor horrende ſtridens,uis autem rupit antri iugum, hi ſtatim qua data porta ruunt, iuſſit uero,ut atrã aſſumpta procella mari incubarẽt, ac maris undę horrendè intumeſcentes,Caphareum operirent. Porro hi repente abripiebantur, priuſquàm totam regis ſui orationem audiſſent, ruẽtibus autem illis mare intolerandè ingemiſcebat, fluctus uero arduis ſimiles mõtibus aliunde alij ferebantur.Porro Grę corum animi parum frangebantur,quia fluctus modo naues per auras in altũ abſtulit, modo iterum quaſi in pręceps deuolutas alta uoragine abſorpſit, intolerandus ſemper ęſtus harenis furebat,procella undas findente:tum Græci inopes conſilij,nec remos naui admoliri potuerunt, ſtupore defixi, nec uela ui uentorum dirupta,quamuis conarentur retrahere, ualuerunt, nec iterum curſum tenere,quia triſtes aduoluebantur procellę, nec gubernatoribus quidem amplius uires ſuppetebant, doctis manibus nauium gu-

 berna-

bernacula dirigendi ; nam omnia alio torſe runt infeſti turbines: proinde omni uitę ſpe deijciebantur, quia Ponto atra incubat nox, & magna tempeſtas, & grauis deorum ira mota erat, ſiquidem Neptunus acerbā intentabat mortem gratificatus illuſtri fratris ſui filiæ, quæ eadem deſuper magna animi promptitudine elata, fulminibus graſſabatur, cœlitus Iupiter obſtrepuit, ſuam ex animo filiam illuſtrans, circumquaq; autē inſulas & cōtinentes mare inundabat, non procul ab Euboia, ubi maxime dolores ſæuis doloribus cumulauit dęmō Grȩcis, pereuntiū gemitu & ploratu reſonabant naues, exaudiebatur undiq; fractorum lignorum fragor in nauibus, quæ ſibi mutuo colliſæ diſrumpebantur, cui malo nullo remedio occurri potuit, hi quidē conati naues in ſe inuectas remis depellere cum lignis in caput præcipitabantur miſeri, & acerbo fato occubuerunt, quorū corpora miſeris modis diſſipabantur, nam longa nauiū ligna aliunde alia uſum illis præbere haud potuerūt, ſiquidem hi nauibus illapſi mortuis ſimiles iacebant, hi uero neceſſitate compulſi natabant remis circumpliciti, alij iterum in tabulis ferebantur, Pontus uero ab imo uertebatur

tur

tur, ita ut mare, cœlum, terram, in unum miſceri appareret, ſiquidem cœlitus graui ſona Minerua nõ declarauit ſe degeneraſſe à patris uiribus, æther reſonuit circũquaq;, nam illa graui ira & illata ſibi cõtumelia exęſtuans in nauem fulmen iaculabatur, & ſtatim illam minutim diſſipauit alias alio partes diſijciens, terra & æther fremitu miſcebantur, nam tota Amphitrite imis ſtagnis refundebatur, pręterea qui in naui erãt denſi cadebant, per ipſos enim aquarũ uortices uoluebant̃: præterea fulminibus reginę excuſſus ſplẽdor, micabat nubes perſtringẽs, deinde ſpuma & capita & hirtę herbę albeſcebãt, & certe effugiſſet Aiax malũ fatum, niſi ipſe Neptunus ſubtus dirupta terra mõtẽ emiſiſſet, nõ ſecus, atq; olim magno cerebro ſapiens proſilijt dea, ſimilẽ obiecit inſulam, qualis ſemper ardet ſub immani gygante, qui ardentem expirat fauillam in terrę cauernis: ſic montis uertex miſerũ Locrorum regem operuit ex alto conuulſus, & oppreſſit fortem uirum, quem terra ſimul & mari domitum atra mortis pernicies inuaſit: ſic quoq; & alij Græci magnis fluctibus iactabantur: hi quidem in nauibus ſtupidi, alij in altum præcipitati, exitiali omnes calamitate

deuincti

Digitized by Google

deuincti erant, naues autem per obliquum ferebantur, alię uero euerſa in altum carina, huic uela ex antennis dirupta erant, uento quippe dilacerãte, harum iterũ ligna omnia turbinibus diſiecta erant, aliæ autẽ alto gurgite abſorptæ undas ſubierũt, immenſis imbribus deprimentibus, nec ferre potuerunt immenſam uim tum marinæ tum cœleſtis aquę, ſimul cum uentis ingruentẽ: ſiquidem denſi nimbi fluuiorũ in morẽ diffluebãt æthere: deinde ſubtꝰ furebat mare: & ſic dixit quiſpiam, Talis in homines tempeſtas ingruit cum Deucalionis tempore, non dicendis imbribus diffuſis, terra & mare uertebantur, & profunditas per omnia diffundebatur: ſic dixit certe Gręcorum quiſpiam ad acerbam tempeſtatem in animo obſtupeſcens. Multi enim extincti fuerũt, nunquam nõ redundabat cadaueribus magnus maris fluxus, omnia ingemiſcebant littora, & multos unda in terram euoluebat. Porro ligna naualia totum mare prætexebãt, medius autem fluxus apparebat, aliƞ iterum alio mortis genere expirabant, hi quidem ſale per totum Pontum exagitato, fractis ad ſaxa nauibus, miſeris modis extincti ſunt, Nauliƞ monitu, hic uero magna ob filium ira exar-
deſcens

deſcens,mota tempeſtate,& Grȩcis pereuntibus,tamen magno affectus dolore, admodũ gauiſus eſt, quia illi ſubito dea ultionem parauit,& uidit infeſtas turmas uaſto oppreſſas gurgite, at hi magnã ſalſæ aquæ copiam deglutientes,per mare ferebantur, animam expirantes. Porro captiuis mulieribus magno animus gaudio explebat̃,etſi ob oculos uerſaretur exitium, quarum hæ quidem in fundũ agebantur præcipites, ulnis ſuos infantulos amplectentes miſerè,hæ autẽ hoſtium capitibus manus circumiecerũt,cum quibus miſerè ad exitium properabãt,Græcis parem ſuæ calamitatis uicem reponẽtes. Cȩterũ Minerua ex alto intuita animo oblectabatur: at Aiax nunc quidem ſubnixus ligno nauis circumnatabat,nunc uero manibus iter confecit, per ſalſuginoſos fluctus, uiribus immanem referens gygantem,ſulcabatur aut ſalſus fluctus fortibus magnanimi uiri manibus.Porro dij ſpectantes & robur & uirtutem obſtupuerunt, interdum illum præruptus aquæ mons in ſublime per aëra euexit,non ſecus,atq; ad ardui montis uerticem,interdum uero unda dehiſcens,nauem alta uoragine abſorpſit,non tamen illi laſſitudine manus ſoluebantur, multa hinc atq;

etſi

hinc fulmina obſtrepebant, maris undis reſtincta, non enim conſilium erat Iouis filiæ, etſi magnis iracundiæ ſtimulis ageretur, illi ſtatim animam extinguere, niſi ingentibus prius exhauſto malis & doloribus plane confecto, quare illum per altos maris gurgites diuturna domuit ęrumna undiq; oppreſſum, nam fata infinitis afflictionibus circũuallarunt uirum, neceſſitas autem illi uires ſuggeſſit, nam aſſerebat futurum, ut effugeret, etſi omnes dij in unum ſuas conferant iras, omnibusq; mare procellis miſceant, non potuit tamen deorum minas declinare: ſiquidē Neptunus maxima efferbuit iracundia, ſimulatq; illum animaduertit Gyream petram manibus arripuiſſe, & concuſſit terram & Pontum, circumquaq; autem omnia Capharei præcipitia commouebantur. Porro littora magna ui undarũ miſere retuſa madeſcebāt, rege quippe maris iracundia exæſtuante, qui ſaxum petrę auulſum in mare præcipitauit, quod ille furibundo impetu manibus præhenſabat, at manus dilaniabantur illi diutius ſe flectenti per ſaxi extrema, ſanguis autem unguibus defluxit. Cęterum Neptunus, illo per ſonoros ruente fluctus, optabat omnes ſimul cum nauibus ad fun-

dum

dum actos exitio dari, ſed atri undarum uortices Pontum efferebant, at ille ardentem manu facē ſuſtulit, dolo autem Græcis exitium ſtruebat, ſperantibus ad commodum portum ſe poſſe pertingere, miſerè autē omnes ad horrenda ſaxa colliſis nauibus perierunt, tum quoq; ad præſens malum ſæuior adiungebatur dolor, quod triſtibus comminuerentur petris ſub nocte caliginoſa. Cæterum mortem euaſerunt, quos uel deus uel dæmon aliquis auxilio ſuo eripuit, uerū Minerua nunc quidem magno geſtiebat gaudio, nunc uero animi diſcruciebatur, ob prudentē Vlyſſem, quia magnos aditurus erat labores Neptuni minis, qui inexhauſtā animo ſimultatē ſuſceperat in muros & turres Græcorum, quas ſibi triſti ad Troiam bello fabricati eſſent: proinde mare illud, quod ab Euxino ad Helleſpontum fertur impetuoſis fluctibus concitauit, quos ad Troiæ littora uoluit. Iupiter uero, fuſis deſuper imbribus, graſſabatur, ut præclaro Neptuno rem gratam faceret, nec Apollo quidē ab opere immunis erat, ſed à mōtibus Ideis omnes torrentes in unum coëgit locum, tantus maris impetus, & torrentes triſti ſonitu obſtreperi ac imbribus aucti, diluerunt Græcorum

opus,

opus, quos cæruleę Amphitritę unda cohibuit, ne ante in mare illaberentur, quàm tristi ruina omnes Græcorum muros conuulſiſſent: quin & ipſe Neptunus ſubito terram dirupit, unde immenſa aquarũ uis ſubſilijt limum & harenam ad ſe trahens, & magna ui cõcuſſit totum Sygeum fretum, tum fractæ ferebantur ad littora uoces. Porro tota Dardania & immenſum Græcorum munimentum ab imis ſedibus euerſa, ac undis obruta diſparuerunt, & ſubierunt terrã procul diſtantem, ſola autem harena ex Græcis grauiſonis ſuperficie reſedit, aquis quippe dehiſcentibus, ſeorſum à littore procul, tum hæc ad talem exitum perduxit deorum parum propitia mens, quicunq; autẽ Gręcorum tẽpeſtate diſiecti eſſent maritimum capeſcebãt iter, & alius alio appulit, quo deus unumquenque egerat eorum qui triſtes maris procellas effugerint.

Argu-

ARGVMENTVM

præſentis poëmatis.

VIDERE eſt hoc poëmate, quo pacto ad Pelei & Thetidos nuptias coierint dij omẽs, & quas turbas miſcuerit Contentio: deinde de pomo certan. Præterea Iouem allegaſſe Mercurium ad Paridem in tres deas iudicis ſibi partes ſumeret, & formoſiſſimæ pomum daret, & multis habitis uerbis, Paris Veneri dedit pomum, adductus pollicitatione, futurũ, quippe ut Helenam acciperet, quod etiam factũ eſt, nam nauibus in Græciam ac Spartam penetrans, illã abreptam in Iliũ abduxit, exitiale omniũ malorũ principium.

COLVTI THEBANI HELEnæ raptus.

TRoianæ nymphæ Xantho fluuio prognatæ, quæ comarũ ornamentis ac ſacris manuũ ludicris patria relictis harena, Chorum frequentaſtis, ut Idęis montibus choreas duceretis, huc adeſte, ut mihi Iuridici mentem paſtoris aperiatis, ſonoro proruentes flumine, pręterea unde factum eſt, ut è mõtibus deſcenderet inſuetum maris iter tentans, nulla tamen maritimorum operum peritia imbutus, quo uero naues malorum ſeminariũ, ut mare ſimul & terram inſanis tumultibus concuteret paſtor, deinde quodnã tam repentinæ contentionis initiũ, ut paſtores ius dicerent immortalibus, & quod hoc iudiciũ, unde ad illius aures Argiuę nymphæ fama dimanauerit, ſi quidẽ ipſę, cõſcenſis Idęi montis iugis *uidiſtis*, & Parin deſertis inſidentẽ ſedib⁹, & Venerẽ, gratiarũ reginã gaudio exultãtẽ. Quando altis Theſſaliæ mõtibus Ganymedes Iouis

uis iuſſu pincernā ageret, cum Pælei nuptię celebrarentur, uniuerſa deorū natio eo properauit, ut ſua cōdecorarēt pręſentia formoſam Amphitritæ ſororē: Iupiter quidem ab olympo, at Neptunus è mari, tum Apollo mellito ab Helycone ſuauiloquarum Muſarum eò properātium chorū ſecum ducens, cui ſe comitē addidit Iuno Iouis ſoror, nec ipſa Venus Harmoniæ regina ad Centauri nemora ſuum procraſtinauit aduentū, deinde & ſuadela pręſto fuit, nuptialem nectens coronam, ſagittarij Cupidinis alleuians pharetram, quin & Minerua nuptiarum expers horrenda capiti amota galea, ad nuptias ſequuta eſt, nec dubitauit quoq; Latona Apollinis ſoror, quamuis eſſet agreſtior, ſua pręſentia cohoneſtare nuptias, at Mars ferratus qui ad Vulcani ædes conceſſit, nec galea, nec infeſta haſta amota, tum ſine thorace ſine ferro choreas duxit ridens: porro Contentionem & Chiron & Peleus neglectui habuerunt. Cæterum Bacchus aureas utrinq; comas uuis intenſas zephyro diſpargendas dederat. Verum perinde ac iuuenca florētibus detorta paſcuis, deſertis ſyluis agitur errabunda æſtro cruento boum ſtimu-

latore percuſſa, ita quoq; Contentio graui-
bus domita uerberibus, palā̃s agebatur, in-
ueſtigans, quo pacto deorum turbaret epu
lum, ſæpe autem ſaxeo proruens throno ſte
tit, & iterum ſe ſeſſum recepit, nec manu ſi-
num terra prohibuit, nec petrã animaduer-
tit: uoluit autem ſonorũ igni fulmen elidere
Titanibus terreſtri eductis uoragine, & cœ
lum altitoni Iouis ſedem demoliri, ſed q̃uis
magnis iræ ſtimulis exagitaretur locum de-
dit tamen Vulcano, & ferri & inextinguibi
lis ignis moderatori, deinde ſecum uerſabat
animo, ut grauiſonum ſcutorum ſtrepitum
æderet, an forte, iniecto metu, clamore exi-
lirent, ſed metuens Martem ferratum ac ſcu
to obarmatũ, nouiſſime aliud fraudulentum
excogitauit conſilium, nam in mentem illi
ueneriit aurea Heſperidum mala: huic Con
tentio, decerpto admirandorum malorum
germine, belli prænuncio, inuenta dedit ma
lorum conſilia: nam primum hoc belli ſemi
narium manu motum in cõuiuium abiecit,
dearum autem commouit chorũ, *ſiquidem*
Iuno coniunx ob Iouis lectum ſibi placens,
ſtetit admiratione concitata, & uoluit depræ
dari: at Venus generis nẽpe ſplendore om-
nibus

nibus anteſtãs pomum ſibi habere cupiuit, quod amorum eſſet poſſeſſio. Cæterum Iupiter cum ſecum iniſſet, ratione dearũ, contentionem, accerſijt filiũ, ac tali oratione aſſidentem Mercurium adoritur, An quem, mi fili, Parin noſti Priami filium ad Xanthum fluuiũ, qui iuxta Idam labitur, nempe ſplendidum illum iuuenem, qui in Troiæ montibus paſtorem agit, da illi id negotij, ut in deas cenſuram exerceat, nempe quæ & apta ſuperciliorum coniunctione & faciei rotunditate decentior: at cui ille illuſtriſſimã adiudicet formam, auferat quoq; præſtantiſſimum pomũ. Vbi uero Saturnius pater hæc mandata dediſſet, eueſtigio Mercurius huius ſe itineris ducem præbuit, paterna iuſſa capeſcere properans, nec deas neglectui habuit, quarum ſingulæ ſe formæ præſtantia eminere ſtudebant: at fraudulenta Venus explicans flammeum, ac comas odorifera diſcriminans fibula auro, cæſariei ornatum addidit, & conſpectos amores prope admonens, hiſce uerbis cõpellat, Dilecti filij, amplectimini nutricem, hodie ſplendidæ mecum facies certamen ſuſcipiẽt, & metuo cui pomum paſtor iſte deferet, nam aiunt Iuno

nem ſacram eſſe gratiarum nutricem, & imperia & ſceptra tenere, Mineruam uero bellis præeſſe, at ſola Venus imbellis dea, nec in reges imperium obtineo, nec Martiã uibro haſtam, nec telum manu torqueo, ſed nihil eſt, quod tantus mihi inijciatur metus: ſi quidem loco cuſpidis, mellitum amorũ uinculum, cœſtũ habeo, non ſecus, ac celerem haſtam, unde meo amoris æſtro exagitatæ fœminæ ſæpe ſummis torquentur doloribus, nec morti ſuccumbũt. Venus igitur roſea effulgens ceruice, in hæc prorupit uerba, Mercurium ſequẽs, Amores autem amicum matetteræ præceptum audientes animos confirmabant nutrici, ſedulo diſtricti officio, & iam Idęi montis uerticem ſuperauerunt: uerũ Paris ętate florens ad amnem Anaurum paternas pauit oues, ab alijs ſeiunctus paſtoribus, nam ſeparatim taurorũ armentum, ſeparatim paſcentium ouium greges curauerat, & haſta à tergo montanę caprę ſuſpẽſa erat, ipſaq́; tetigit fœmora, deinde pedum quo boues ſtimulet, ſupponebatur, talis exiſtens, de more fiſtulæ, *lento* incedens gradu, agreſtiorem quidem, ſed ſuauem meditabatur arundine Muſam: ſępe autem

tem deſertis in ſtabulis ſe cantu oblectans, nec tauros & oues curæ habuit, qua de cauſa fiſtulam circumferens, pro egregia paſtorum conſuetudine, & in Panis & Mercurij honorē gratum exoriebatur cantum, nec canes latratū, nec tauri mugitum tollebāt, sola autem Echo obſtrepera Idæis mōtibus reſonuit, uocis imperita. Porro tauri florentis herbę ſaturi obeſis incumbentes natibus, ſomnos ducebāt: uerum Paris, ſub edito plantarum umbraculo ſe oblectās, procul uidit deorum nunciū Mercuriū, & metu perculſus exilijt, deorum autem cōſpectui ſe ſubtrahere nitebatur, & relictis ſub uirgultis fiſtulis, cantum, qui nunquam multum attulit tædij, interrumpit: illum igitur ita metu trepidantem compellat Mercurius, Huc te conferas reiecto metu, omiſſisq; omnibus, cœleſtibus deabus ius daturus, huc inq̄, ut tua cenſura decernas præſtantiorē faciei formam, & illi quæ cæteris formæ ſplendore prēluceat gratū hoc præbeas germen. Hæc ubi dixiſſet, ſuppreſſa uoce ac blandis intenſis luminibus, Paris iudicādę formę munus obire properabat, ac fixo perluſtrabat intuitu, & cæſiorum ſuperciliorum lumen, &

ceruicem tum accurata obſeruatione ſecum perpēdit ornatū, quē ſingulis aurū addebat, deinde calcanei & plantarum uertebrū. Cæterū Minerua Paridē manu arreptū, anteq̃ iuridicundo ſe accingeret, tali cōpellat oratione, Huc te, Priami fili, recipias, omiſſa Iouis coniuge, & ſpreta quoq; thalamorū regina, Mineruæ, uirtutis pręſidi, hanc laudem deferas; fama fertur te imperium obtinere, & Troianorum oppidum tuæ ſubeſſe tutelæ; huc, inquā, te recipias, ego te uiris aduerſa bellorū mole preſſis opitulatorem exhibebo, nec unquam tibi ira inflammata Bellona uim fecerit: proinde mihi morigerum te præbeto, ego enim te fortitudine & rei bellicæ peritia imbutum reddā. Vbi hęc dixiſſet Minerua ſapiēs dea, hiſce uerbis eius orationem interrupit formoſa Iuno, Si mihi tuo iudicio præſtātius detuleris germen, ego te uniuerſæ Aſiæ dominū conſtituam, belli opera pro nihilo ducito, quid em̃ hæc ad urbium dominatorem ſpectant? nam hic in fortes & imbelles uiros imperium exercet, nec certe Mineruæ aſſectatores ſemper re bene geſta decedunt, & Bellonæ miniſtri breui tranſacta uita morti concedunt: talem
domi-

ominatum clariſſima Iuno exhibuit, tum
enus peplum ſinuoſum in aëra denudans
ium ſuſtulit, nec pudore retracta, quin pe
ūs omne nudaret, & manu alleuiās ſuaue
norum uinculum, nō meminit huberum,
in riſum ſoluta, talibus aggreditur paſto-
m dictis, Suſcipe & bella ex animo dele,
ſcipe, inquam, noſtram formam, ſceptris
Aſiatico imperio poſthabitis, nullā equi-
m rei bellicę peritiam habeo: quo enim
ita Veneri & formę ſplendore potius pal-
rium referunt fœminę. Pro fortitudine
tur amabilem tibi uxorem exhibebo, pro
perio Helenę thalamū conſcendes, ſpon
n te uidebit poſt Troiā Lacedemon. Vix
em dicendi fecit, & hic ſplendidum prę-
it pomum, ſplendori donum, magnā Ve
ris poſſeſſionē, belli ſeminarium ac per-
iioſam pugnę originē. Porro Venus ma
pomum tenens, in hęc uerba prorupit,
ionem conuitijs inceſſens, & Mineruam
oq; maſculo animo preditam, Cedite mi
ios Martis ſocię, cedite, inquam, mihi, hu
certaminis uictoriam, forme ſplendo-
n dilexi, & formæ ſplendor me ſequitur.
ınt te, mater Martis, in partus dolori-

bus augere ſacrum decentium Gratiarum chorum, ſed te hodie omnes negarunt, nec ullam inuenire potuiſti auxiliatricem, nec quoque ſcutorum regina, et ſi ignis es nutrix, non tibi Mars opem tulit, etſi haſta gra ſatur, non flammæ Vulcani, etſi ignis uapor inſidiatur: quid eſt, cur ſe iactat uana Mineruaſ quam non ſeuit connubium, nec mater peperit, ſed ferri ſectio, & ferri radix, non adhibita obſtetrice, paterno eduxit capite, quemadmodũ etiam ferreis corpore tecto operimẽtis, & amorem fugitas, & Martis arma, ſectaris, Harmonię ignara, ac neſcia concordię. Ignoras Minerua imbecilliores eſſe, nec magnificè ſe pręclaris bellis efferentes, ut qui mẽbris iudicatis, nec uiri nec fœminæ ſint. Talibus inceſſit contumelijs Mineruam Venus. Verum ut hæc præmiũ formæ, quod urbes excidio daturum ſit, ſortita eſt, & Iunone & Minerua pulſis, miſer Paris amore inflammatus, & quam nõ uidit perſequens in dẽſam abduxit ſyluam uiros archi tecturæ peritos, hic craſſæ ſyluæ quercus præſectæ cadebant, induſtria Pherecli malorum inceptoris, ut qui aliquando naues fabricatus ſit in gratiam Alexandri luxu per-
diti

liti regis, nam hic Idęos montes mari mu-
auit, & Venerem concubitus cōciliatricem
quæ ad id hortata eſt) littoralibus ſæpe pla
ans ſacrificijs Helleſpontum nauibus tenta
it, quare magnorum ſibi calamitatū ſigna
:debantur, nam cęruleū mare fluctibus in-
umeſcēs cœlum cinxit caliginoſo Vrſę uin
ulo, quæ denſos aëre nymbos excutiēs ma
e inundauit, cum remis ſulcaretur, tum Pa-
s Dardanium & Troicum ſolum linquens
anſmiſit oſtia Iſmaricæ paludis, & Threij
Pangei promontorium, ubi uidit aſſurge
: Phillidis nimio uiri amore flagrantis ſe-
ulchrum, & erraticæ uiæ curſum, qui no-
em conſtitit circulis, quos ambiens Phillis
aritum defleuit, dolens reducem Demo-
hoonta, cum è populo Athenienſi reuerte
tur, deinde huic per fertilem Theſſaliam
er facienti Achaię oppida nempe Phthia
Micenę apparere incœperunt, ad hęc per
rcadiam, Spartam cōtendit formoſis con
icuam mulieribus, & amabilem Atreonis
bem ſitam cognouit ad amnem Eurotam
æterea uidens ſyluam uicinam iuxta mon
pedem ædificijs frequentem mirabatur
iœnam Therapnen, nec hinc longa erat
nauigatio

nauigatio, nec tranquillo mari diu audiebatur ductorum remorum ſonitus: nam ad ſinum littoralem appellẽtes nauis retinacula ligarunt, quibus naualia opera curæ erant, ſed Paris frigido ablutus flumine, ſuſpenſo inceſſit ueſtigio ne amabiles pedes puluere obducerentur, ne cæſaries galeæ illiſa uentis turbaretur, ſi forte acceleraret gradum, iam editas hoſpitalium incolarũ ędes ſuſpiciens, & uicina templa, ac urbis ſplendorem oculis perluſtrauit, hic quoque uidit auream indigetis Mineruę effigiem, & Carnenſis hyacinthi, quem aliquando uirenti ætate conſtitutum Amyclęorum populus cognoſcens cum Apolline rem habere, grauiter ferebat, ne Latona Ioui irata, & hunc abduceret, uerum latuit Apollinem ſe habere Zephyrum in hoc puero riualem, ſed terra in gratiã plorantis regis florem eduxit, qui Apollini ſolatio eſſet, florem, inquam, admirando iuueni cognominẽ, iam non procul abfuit à Menelai ędibus diuinas ob gratias ſibi placens, nõ enim, Dioniſe, tam amabilem peperit te filium Thyone, etſi Iouis propago ſis, nam & ille ſplendore faciei præſtabat: at Helena ſtatim reſerato thalamo foras ſe corripuit, & circum-

circumſpectans, ut uidit, ut animaduertit illum pro amicis foribus ſtantem, in ipſa aulę penetralia abduxit, & iuſſit nouæ & aureæ ſellæ inſidere, uerum nullam eam ſpectandi ſatietas capere potuit, iam uero oboriebatur illi ſuſpicio, eum eſſe Cupidinem aureæ Veneris filium thalami miniſtrum, at tandem cognouit fieri non poſſe, ut is ſit, nempe cui deſit pharetra, ſæpe elegantis faciei ſplendore adducta, uidebatur ſibi deſideriorum regem ſub cōſpectum prodiiſſe, tandem admiratione percita, talē deprompſit orationem, Hoſpes unde ades? age nobis tuum genus ediſſere & patriā, nam ſplendore formę admirandum regem repræſentas, ſed tuum mihi genus inter Græcos incognitum eſt, non enim Pylum imperio tenes, nam Anthilochum noui, tua autem mihi facies nunquam uiſa, nec Phthiam gratam principum uirorum nutricem, non enim me præterit illuſtrium Aeacidarū genus, nec Telamon gloria florens, nec Patroclus morum ciuilitate inſignis, nec Achilles fortitudine cōſpicuus, hæc deſiderio æſtuās ſuauiloqua dixit nympha: ille uero ſuaui hac uoce reddita reſpondet, An unquam ad tuas aures peruenit, Iliū

in

Digitized by Google

in Phrygiæ terminis ſitum, cui murum circumduxerunt, & Neptunus & Apollo, & an aliquem regem Troię audieris, omnibus fœlicitatis numeris inſtructiſſimum, qui à Ioue quoque genus ducat, hinc ego generis ſplendorem trahens omnia gentis inſignia moribus exprimo: ſum ergo, mulier, charus opulenti Priami filius, ſum uero Dardanides. Porro Dardanus Iouem habuit generis authorem, hinc dij ſæpe olympo dilapſi ad mortales diuerterunt, ac ſeruitutem ſeruierũt quamuis eſſent immortales, quorum & Neptunus & Apollo noſtræ patriæ muros condiderunt nunquam corruituros, ſed & regina, dearũ ſum iudex, ſiquidem in deas cenſuram exercens Veneris ſplendorem & amabilem formam prætuli dolentibus alijs cœlitibus, at hęc recepit ſe mihi daturã nympham amabilem, celeberrimam meorũ o perum remunerationem, cui Helenæ nomen indidere mortales Veneris ſorori, in eius gratiam non dubitaui tanta maria tranſmittere, hic igitur matrimonium contrahamus, cum Venus iubeat, nec mihi probri notam inuras, & meam Venerem refutes, at nolo tanta uerborum circuitione uti. Quid enim

ſcientem

ſcientem tanto negocio docere coner? non certe te latet Menelaum imbellis eſſe ſanguinis, nec Græcia tales unquam fœminas tulit, nam imbecillibus coaleſcentes membris uiros forma referunt, & plane à mulierum indole degenerarũt. Sic dicendi finem fecit, at nympha amabilem defixit humi intuitum, & diu ſecum hęrens, nullam uocem ędidit, tandem uero admiratione concitata, in hæc uerba prorupit, Profecto hoſpes ſæpe in animo habui tuæ patriæ muros, quos olim Neptunus, & Apollo condiderunt, nempe illa immortalium ſimulachra, animi oculis demetiri, deinde & fragrantia illa deſtituti Apollinis paſcua, ubi ad diuinitus condita portarũ munimẽta ſępe Apollo boum ueſtigia preſſit. Age igitur è Sparta Troiam me abducito, nõ recuſabo ſequi, ut iubet Venus nuptiarum regina, nec mihi terrorẽ iniicit Menelaus, quod me Troianam urbẽ petiiſſe reſciſſet: tale pactum, cum Paride formoſa iniit nympha. Cæterum nox, rerum quies aderat, poſt ſolis uias, ſomnũ leuans, quem oriens aurora ſuſpẽſum prębuit. Aperuit autem duas inſomniorum portas, hanc quidem ueritatis terminis circumſcriptam

mundo

mundo patefaciens, unde ſubſiliūt uerę deorum uiſiones, illam uero dolo compactam uanorum inſomniorum altricem. Porro hic Helenam ex benignis Menelai ædibus ad naues abduxit, & ſibi ſupra modum placens ob Veneris pollicitationes, belli molem ſecum ad Ilium agere properauit, orta autem aurora Hermione flāmeo in auras abiecto, & lachrymis diffluēs ſuſpiria duxerat, enim uero ancillas plęrunq; thalamis abſtractas ſublata uoce adorta eſt, Puellæ quo me deſerta, luctifica diſparuit mater, quæ heri mecum thalami foribus obdito peſſulo cubitum conceſſit, & uno in lecto quietem cepit. Hæc commemorabat lachrymis diſtillans Hermione, ancillę autē non potuerunt, quin unà cum illa plorarent: at fœminę Hermionem ſtipantes, conatæ ſunt gementem in ueſtibulis cohibere, Filia, dicentes, ſiſte ploratū, abijt mater reditura, ubi te plorantem didicerit, non uides, ut luctuoſę ſubſidant genę, & te frequenter plorante, florida marceſcat facies, illa modo ad nympharum in unum coēuntium cœtum uenit, & recta deflectens detinetur, pręter animi ſui ſententiam, ac ad Viridanum cōtendens roſido in

campo

campo deſidet, aut abijt patrio lotura corpus flumine, & ad Eurotæ ripas moratur, puella uero, crebris ductis gemitibus, & lachrymis humecta reſpõdit. Vidi montem, noui amnem, nec me præterit, quæ nam ad roſas aut pratum ducat uia: quid me loquendo detinetis fœminę, iam ſydera cœlo pręcipitant, & illa in ſcopulis ſomno ſopita iacet, iam aſtra oriuntur, nec illa reuerti properat. Quis te, mea mater, mundi angulus habet, quos incolis montes, te ne oberrantem feræ dilaniarunt? at uel ipſæ feræ admirandi Iouis metuunt genus, an è montibus in præcipitium acta in puluere iaces, corpore deſertis in ſyluis proſtrato? ſed in opacam & antiquam ſyluam penetrans, arbores omnes ad ipſa uſq; folia acerrimo dimenſa ſum intuitu, tuum non depræhendi corpus, non eſt igitur cur ſyluæ ſuccenſeamus, nec tranquillitas ad ſacrum fœcundi Eurotæ meatum natantem cooperuit, in fundum abſorptam, cũ quippe & fluminibus & ſacris Pelagi undis, Naiades uitam agant, nec fœminis uitam adimant. Vbi hęc cum gemitu & ſuſpirijs reddidiſſet, inclinata ceruice, in ſomnum incidit, qui mortis eſt comes, nam

Digitized by Google

hi duo ſi coëant neceſſum eſt, in cõmunionem uenire omnium operũ antiquioris fratris,hinc fœminę dolẽtibus grauatę ſuperciliꝭs,ſæpe in ſomnũ incidunt cum plorant. Porro hæc inſomniorum induſtria uagata perſuaſum ſibi habebat, ſuam ſibi matrem oblatã eſſe, quare puella admiratione percita,talia uociferabatur,quamuis doloribus excarnificata,Heu me ſomno ſopitam in patrꝭs lectis deſeruiſti, fuga te hinc corripiẽs, quem non montẽ conſcendi, quos non colles trãſmiſi,ſiccine ad formoſę Veneris Harmoniam properas. Ita uociferanti reſpondit Helena,mea filia,ne tanto cum mœrore queraris,talia tibi eſſe obiecta, nam fraudulentus ille uir, qui heri noſtras ædes ſubiꝭt, me rapuit.Hæc ubi dixiſſet, illa proruit, uerum non cernens nutricem, multo acutiori uoce erugiꝭt, Alatæ aues, quæ ex Aëre genus trahitis,in Cretam uos cõꝭcientes, nunciate Menelao, uir quidem iniquus heri in Spartam ueniens,omnem ſplendorem meis deleuit ex ædibus,cum puella lachrymis humecta haſce iactaret uoces, ac matrem inquirẽs fruſtra oberraret, & per Ciconum oppida & Aeoliæ meatum, tum in Darda-

niæ

niæ portum, ſponſam inuexit ſponſus. Cæterum Caſſandra crebro comas dilaniauit, ac aureum diripuit flammeum, ubi in arce uidiſſet nouam hoſpitam, Troia autem reſeratis urbium portis, ſuſcepit reuerſum ciuem malorum omnium authorem.

FINIS.

Digitized by Google

DIDACI PYRRHI
Luſitani carmen.

IRatum Aeacidem magnus deſcribit Homerus,
Dum gemit immerito præmia rapta ſibi.
Et quot in umbriferum Graiorum miſerit orcum,
Heroum parili concinit ille fide.
Mox querulis idem precibus lenitus Achilles,
Vertit in Iliacos triſtia fata duces.
Multaq́ꝫ, magnanimi fato perculſus amici,
Fortia Teucrorum corpora ſternit humo.
Sternit & ingentem Perimedem, atqꝫ Hectora fortem
Afficit indigna fortior ipſe nece.
Hectora quem circum Neptunia Pergama raptum,
Iliades paſſis ingemuere comis.
Hectora quem multo redimit pater anxius auro,
Tradat ut extructis corpora caſſa rogis.
Tali Mœonides contentus fine poëta,
Nobile in Hectoreo funere clauſit opus.
Deerat adhuc tantis certè manus ultima cœptis,
Vltima ſed primo non caritura loco.
Nam Priamus cadere, & Priami domus inclyta regis
Debuit, & Graia Troia perire manu.
Debuit & tenera maiora ętate ſecutus,
Obuius Aemathio Troilus ire duci.
Debuit, & peltis & acuta fiſa ſecuri
Ducere fœmineam Pentheſilea manum.
Debuit ipſe etiam Phœbi mactatus ad aras,
Sanguine Pelides ſpargere templa ſuo.
Debuit & patrijs animoſus Pyrrhus in armis,
Edere ſanguinea bella cruenta manu.
Debuit ad Phthij ductoris cęſa ſepulchrum,
Regia Achilleam uirgo piare necem.
Debuit arbitrio Graiorum uictus iniquo,
Aiax ipſe ſuo fortiter enſe mori.
Deniqꝫ perfecto diuturni munere belli,
Debuit in patriam quiſqꝫ redire domum.

Digitized by Google

Atq; ibi (Dardanios quamuis effugerit enſes)
Aeaciden Pyrrhum triſtia fata manent.
Illiſus ſcopulis & fluctibus obrutus Aiax
Vix placare deam Pallada ſic poterit.
Ipſe etiam maior (quis credere poſſet Atrides?)
Fœminea tandem uictus ab arte cadet.
Iſta tamen mira Calaber canit arte poëta,
Et ſequitur cultis fortia facta ſonis.
Illi Pyerides carmen dictaſſe ſorores,
Credibile eſt, tantus manat ab ore lepos.
Sed Calaber tantum Graijs dabat iſta poëtis,
Graius homo Latij neſcius elloquij.
orſitan æterna ſic dignum laude poëma,
Aeterno potuit delituiſſe ſitu.
um ſubito uatis cauſam miſeratus iniquam,
Auxiliatricem fert Velaræus opem.
rt Velarçus opem, Latios nutritus in uſus,
Soſpite quo nunquam Dorica lingua cadet.
rt Velaræus opem, cui carmina culta canenti,
Suggerit auratam flauus Appollo lyram.
rt Velarçus opem, qui ſi ſermone ſoluto
Ire uelit, nulli ceſſerit ingenio.
ſic urbe tua donatum diue Quirine
Publicat, & Latijs donat habere uiris.
go quiquid amas uates Romana iuuentus,
Accipe, & hunc tota mente reconde librum.

Digitized by Google

EN candide Lector, erratula quædam, quæ obliquis oculis tranſiuimus, hic in calce adnotanda cenſuimus, ut politiori calamo unumquodque ſuo adnotes loco, ne legendo habeas, quod hęſites. Vale, & ęqui boniq́ꝫ conſulas oramus.

In Epiſtola, folio. iiij. facie. i. linea. iij. aſtri-
ctus lege aſtrictius.
Fol. viij. fa. i. linea. i. mirumq́ꝫ pro mirũ q̈.
Fol. xi. fa. i. lin. xxij. admonet̃, admouetur.
Fo. xiiij. fa. i. li. v. humilis lege hinnulus.
Fo. xviij. fa. i. li. iij. naues lege manes.
Fo. xxx. fa. i. li. vij. ſumſi lege ſumpſi.
Ibidem. fa. ij. li. xx. atres, lege atras.
Fo. xlviij. fa. i. li. xxvi. reſoluit, reſonuit.
Fo. lxxvi. fa. ij. li. iij. merunt, ademerunt.
Fo. ci. fa. ij. li. xx. quã & ipſam metue ad oc-
cubitum propenſam, lege, quas & ipſas
metue ad occubitum propenſas.
Fo. ciiij. fa. ij. li. iiij. dimerſa, diuerſa.
Fo. cxviij. fa. i. li. ix. Aulidæ, Aulide.
Fo. cxxxvi. fa. i. li. iij. inopia laborabimus;
Ibidem, li. ix. odoritur, adoritur.
Fo. clxvi. fa. ij. li. xxij. emmanos, immanes.
Fo. cxcij. fa. i. lin. xix. Ciclopis, Ciclopes.
Eodem fo. fa. ij. li. xvi. Ponthum, Pontum.

Digitized by Google

Folio. cxcvij. facie. i. linea. iiij. allegaſſe, lege ablegaſſe.

Folio. cxcviij. fa. ij. li. xvij. ad amnem Anaurum, lege ad torrentis procurſum.

Fol. cc. fa. ij. li. v. graſatur, graſſatur.

Folio. cciij. fac. ij. lin. xxvi. Viridanum, lege Viridarium.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibl. erot.
Fr. Krenneri.
258. . . .

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibl. erot.
Fr. Krenneri.
258.

Digitized by Google

Digitized by Google